INSTITUTUM HISTORICUM POLONICUM ROMAE

# ELEMENTA
# AD FONTIUM EDITIONES
# XLI

## DOCUMENTA EX ARCHIVO REGIOMONTANO
## AD POLONIAM SPECTANTIA
## XI PARS
## H B A, B 2, 1560-66

edidit

CAROLINA LANCKOROŃSKA

NON EXSTINGUETUR

ROMAE 1977

# INSTITUTUM HISTORICUM POLONICUM ROMAE
## VIA DEGLI SCIPIONI 284 - ROMA

### IAM PRIDEM ROMAE PRODIERUNT HAEC VOLUMINA
(continuatio *Studia Teologiczne* — Wilno, vol. I-X):

XI — Meysztowicz V., *Repertorium bibliographicum pro rebus Polonicis Archivi Secreti Vaticani.* Vaticani, 1943.

XII — Meysztowicz V., *De archivo Nuntiaturae Varsaviensis quod nunc in Archivo Secreto Vaticano servatur.* Vaticani, 1944.

XIII — Savio P., *De Actis Nuntiaturae Poloniae quae partem Archivi Secretariatus Status constituunt.* Romae, 1947.

XIV — Meysztowicz V., *Prospectica descriptio Archivi Secreti Vaticani* (Ed. chirotypica. exhausta).

ANTEMURALE, I-XX, Romae, 1954-1976

### ELEMENTA AD FONTIUM EDITIONES

Vol. I — *Polonica ex Libris Obligationum et Solutionum Camerae Apostolicae.* Collegit J. Lisowski, pp. XV+292, 704 doc. (A.D. 1373-1565) Ind. nom. propr. 1960. (Archivum Secretum Vaticanum).

Vol. II — « *Liber Disparata Antiqua Continens* » Praes. E. Winkler, pp. XVIII+190, 281 doc. (ante a. 1424) 19 facs. Ind. nom. propr. 1960. (Archivum Capituli Trident.).

Vol. III — *Repertorium Rerum Polonicarum ex Archivo Orsini in Archivo Capitolino,* I pars. Coll. W. Wyhowska - De Andreis. XVIII+162, 1144 doc. (A.D. 1565-1787) 29 tab. Ind. nom. propr. ind. chron. 1961.

Vol. IV — *Res Polonicae Elisabetha I Angliae Regnante Conscriptae ex Archivis Publicis Londoniarum.* Ed. C. H. Talbot, pp. XVI+311, 166 doc. (A.D. 1578-1603) 9 tab., Ind. nom. propr., ind. chron., glossarium verb. ang. ant., 1961.

Vol. V — *Repertorium Rerum Polonicarum ex Archivo Dragonetti de Torres in Civitate Aquilana.* Ed. P. Collura, pp. XI+86 483 doc. (A.D. 1568-1682) 4 tab. 1962.

Vol. VI — *Res Polonicae Iacobo I Angliae Regnante Conscriptae ex Archivis Publicis Londoniarum.* Ed. C. H. Talbot, pp. XI+396, 281 doc. (A.D. 1603-1629) 8 tab. Ind. nom. propr., ind. chron., glossarium verb. ang. ant., 1962.

Vol. VII — *Repertorium Rerum Polonicarum ex Archivo Orsini in Archivo Capitolino,* II pars. Coll. W. Wyhowska - De Andreis, pp. XIV+250, 1205 doc. (A.D. 1641-1676) 11 tab. Ind. nom. propr., ind. chron. 1962.

Vol. VIII — *Documenta Polonica ex Archivo Generali Hispaniae in Simancas,* I pars. Ed. V. Meysztowicz, pp. X+214, 157 doc. (A.D. 1514-1576, 1720-1791) 7 tab. Ind. nom. propr., ind. chron. 1963.

Vol. IX — *Res Polonicae ex Archivo Regni Daniae,* I pars. Coll. L. Koczy, pp. XII+184, 98 doc. (A.D. 1526-1572) 8 tab. Ind. nom. propr. 1964.

Vol. X — *Repertorium Rerum Polonicarum ex Archivo Orsini in Archivo Capitolino,* III pars. Coll. W. Wyhowska - De Andreis, pp. XVI+343, 1399 doc. (A.D. 1568-1676) 12 tab. Ind. nom. propr., ind. chron. 1964.

Vol. XI — *Documenta Polonica ex Archivo Generali Hispaniae in Simancas,* II pars. Ed. V. Meysztowicz, pp. VIII+287, 214 doc. (A.D. 1567-1579) 7 tab. Ind. nom. propr., ind. chron. 1964.

INSTITUTUM HISTORICUM POLONICUM ROMAE

# ELEMENTA AD FONTIUM EDITIONES XLI

## DOCUMENTA EX ARCHIVO REGIOMONTANO AD POLONIAM SPECTANTIA

## XI PARS

## H B A, B 2, 1560-66

edidit

CAROLINA LANCKOROŃSKA

NON EXSTINGUETUR

ROMAE 1977

SUMPTIBUS
FUNDATIONIS
LANCKOROŃSKI
FRIBURGI HELVETIAE

EDIDIT:
INSTITUTUM HISTORICUM POLONICUM ROMAE
VIA DEGLI SCIPIONI, 284 - ROMA

# INDEX RERUM

Introductio . . . . . . . . . . . . . . . Pag. VII

Textus . . . . . . . . . . . . . . . . . » 3

Elenchus epistolarum . . . . . . . . . . . » 205

Index personarum et locorum . . . . . . . . . . » 213

4 tabulae

# INTRODUCTIO

*Volumen XLI « Elementorum ad Fontium Editiones », XI vero seriei « ex Archivo Regiomontano » dictae, continet 285 epistolas (quarum 275 ad Albertum in Prussia ducem datas), annis 1560-66 ex Polonia missas, a 102 proceribus Poloniae spiritualibus et saecularibus scriptas.*

*Ex hoc tanto numero personarum, quae ad ducem Albertum saepius vel rarius scribere solebant, imprimis nominare libet duos Regni Poloniae vicecancellarios: Philippum Padniewski (qui 13 epistolas misit) et Petrum Myszkowski (42 epistolas). Secundum locum, quod ad scriptorum quantitatem spectat, obtinent nonnulli proceres « protestantes », i.e. religioni reformatae vel palam adhaerentes vel secreto faventes, primi inter alios Raphael Leszczyński (16 scripta), Stanislaus Ostroróg (15), Stanislaus Ciechański (12). Huc numerandus est etiam Nicolaus Radziwiłł Niger, palatinus Vilnensis, qui non multas quidem, sed magni momenti epistolas ad ducem Albertum expedivit.*

*Cum annis 1560-66 permultae tam in Polonia, quam in exteris regionibus, variaeque res gerantur, multa sunt quoque et varia argumenta, quae in scriptis hoc volumine editis tractantur, plura fortassis, quam quae in praeviis voluminibus agebantur.*

*Imprimis itaque sermo saepe occurrit de rebus Livoniae et de periculo eidem Livoniae ex Moscovia imminente; tractatur deinde de dissensionibus inter Polonos et Lithuanos propter causam Livonicam obortis, de Turcis et Tartaris Reipublicae semper periculosis; de morte Ioannis Tarnowski, castellani Cracoviensis et exercituum Regni generalis capitanei, de rebus Hungariae et Moldaviae, de bello Moscovitico, de arce Polocensi a Moscis capta; de archiepiscopatu Rigensi Christophoro duci Megapolensi tradendo, de negotio unionis Regni Poloniae cum Magno Ducatu Lithuaniae. Non desunt denique epistolae, rei litterariae dedicatae, ut ea, quae de imprimendo latino-polonico dictionario a Nicolao Radziwiłł scripta erat (cfr. N. 1815), vel quae de rebus privatis vel semi-privatis narrant, ut eae, in quibus de testamento Gabrielis Tarło tractatur.*

*Anno 1566 non parum spatii occupant epistolae, quae commissariorum regiorum in Prussiae Ducatum adventui dedicantur.*

*Iam ex hoc tam brevi elencho eorum, quae in documentis hic publicatis plus vel minus prolixe tractantur, facile videre possumus repercussas esse in eis tam res externas, i.e. inter varias Europae nationes et in variis regionibus intercedentes, quam res Poloniae vel Ducatus Prussiae internas, quam denique eas, quae ex ipsa rerum natura, ut ita dicamus, Regno et Ducatui erant communes.*

*Sicut et in antea editis voluminibus cupimus et nunc iterum gratias quam maximas agere Tabularii Regiomontani moderatoribus, Doctori*

*Ioanni Koeppen, Directori, et Doctori Bernardo Jähnig, Assessori, qui etiam textuum germanicorum in hoc volumine occurrentium revisionem et cum originalibus collationem benigne in se suscepit.*

*Commoditati lectoris consulentes, ut simul maius repertorium bibliographicum in unum collectum prae oculis habere possit, Bibliographiam selectam, etiam ad annos 1560-66 pertinentem, in sequenti volumine eiusdem seriei nostrae ponere statuimus.*

C.L.

# TEXTUS

# 1560

*N. 1725.*

*Drutowiszki, 12.I.1560.*

*Ioannes Pawlowicz Podskarbowicz (alias Pawłowski Potzkanowitz)*
*Alberto in Prussia duci*
*nuntiat de proposito suo uxorem denuo sumendi et ducem ad nuptias invitat.*

*(Germanice)*

*Sigill.*

*H B A, B 2, K.391.*

*N. 1726.*

*Grodzisko, 14.I.1560.*

*Stanislaus Ostroróg, castellanus Międzyrzecensis,*
*Alberto in Prussia duci*
*pro equis gratias agit; adolescentem Granowski, patre orbatum, in Academia Regiomontana litterarum studiosum, commendat; libros Vergerii recudi petit.*

*Sigill.*

*Iam ed. Wotschke, St. Ostrorog, suppl. XIV.*

*H B A, B 2, K.391.*

Illustrissime Princeps *etc.*

Etsi antea Illustrissimae Vestrae Celsitudini de duobus equis missis, quorum alter in itinere interiit, alter ad me perductus est, gratias egi, tamen cum dubitem literas esse perlatas, quasi ab integro agendas esse duxi. Itaque Illustrissimae Vestrae Celsitudini eo nomine ingentes ago habeoque gratias.

Caeterum agit hoc tempore adolescens quidam nomine Granowski in Academia Regiomontana, cuius pater ante semestre obiit, multis relictis liberis, re autem familiari valde angusta. Is adolescens in literis, ut audio, egregie proficit. Verum propter inopiam sumptus amplius tolerare nequit. Itaque me mater eius, honesta foemina, una cum propinquis et cognatis adiit ac profusis lachrimis mihi suplicavit, ut eum Illustrissi-

mae Vestrae Celsitudini commendarem contenderemque, ut ei victum in ea Academia agenti decerneret, quo cursum studiorum conficere posset. Itaque abs Illustrissima Vestra Celsitudine maiorem in modum peto, ut ei hoc me petente tribuat.

Venio certam in spem Illustrissimam Vestram Celsitudinem, pro innata sua clementia amoreque erga Musarum cultores et misericordia liberalitateque erga orphanos et egenos, hoc non gravate facturam. Ad me quod attinet, ad mandatum Illustrissimae Vestrae Celsitudinis semper praesto ero.

Porro ab Illustrissima Vestra Celsitudine peto, si ad superstitionem abolendam et veram religionem propagandam conducere iudicabit, ut libellos Domini Vergerii nuperrime aeditos recudi curet. Gravissimae causae, quas scribere non licet, obstant, quominus apud nos id fieri possit. Quas suo tempore aperiam...

Data Grodisco, 14 Ianuarii, 1560.

[a] Vestrae Illustrissimae Celsitudinis
addictissimus fidissimusque servitor [b]
Stanislaus Comes ab Ostrorog, Castellanus
Medziricensis et Capitaneus Zamechensis,
[a] manu propria subscripsit.[b]

a)-b) *manu propria.*

*N. 1727.*

*Vilnae, 16.I.1560.*

*Philippus Padniewski, episcopus Premisliensis, R.P. vicecancellarius, Alberto in Prussia duci*
*de negotio civium Gedanensium et de causa Livonica ex litteris regiis ducem plura cogniturum esse scribit; mittit commissionem et mandatum regium ad controversias finium disceptandas pertinens.*

*Sigill.*

*H B A, B 2, K.391.*

Illustrissime Princeps *etc.*

In negocio civium Gedanensium, tum in Livoniensi causa, quid Sacra Regia Maiestas ad ea, quae Illustrissima Celsitudo Vestra ad se scripsit, constituerit, Illustrissima Celsitudo Vestra ex Sacrae eius Maiestatis literis cognoscet. In aliis porro rebus, de quibus et per Excellentem virum, Dominum Ionam,[1] Iuris Doctorem, Nuncium suum, et per literas ad me significavit, maximum studium meum existit, ut per me illius voluntati satisfiat. Itaque in praesentia mitto ad Illustrissimam Celsitudinem Vestram commissionem Regiae Maiestatis ad controversias finium disceptandas, ita ut Illustrissima Celsitudo Vestra se velle significavit, descriptam, tum et mandatum Sacrae Regiae Maiestatis in universum ad Commissarios conscriptum,[*] ut, posteaquam interpellati ab Illustrissima Celsitudine Vestra erunt, diem negocio finium regundorum constituant atque ad eam ipsi praesto sint. Ac deinceps quoque quibuscunque in obsequiis Illustrissimae Celsitudini Vestrae studium officiumque meum extare po-

terit, id ut Illustrissima Celsitudo Vestra promptum sibi ex me esse intelligat, enitar... Datum Vilnae, XVI die Ianuarii, anno Domini MDLX.

[a] Illustrissimae Dominationis Vestrae
obsequentissimus servitor
Philippus Padniewski etc., Episcopus
Premisliensis et Vicecancellarius
subscripsit.[b]

a)-b) *manu propria (aureo atramento).*
1) *Christophorus Ionas.*
*) *desunt.*

*N. 1728.*

*Vilnae, 27.I.1560.*

*Philippus Padniewski, episcopus Premisliensis, R.P. vicecancellarius, Alberto in Prussia duci*
*de studio suo in rebus ducis in aula regia agendis.*

*Sigill.*

*H B A, B 2, K.391.*

*N. 1729.*

*Gedani, 31.I.1560.*

*Iacobus Uchański, episcopus Vladislaviensis et Pomeraniae, Alberto in Prussia duci*
*remittit exemplum elenchi nominum germanicorum villarum dioecesis suae, ex Metrica ducis sibi missum.*

*Sigill.*

*(Annexum: elenchus locorum germanice scriptus)*

*H B A, B 2, K.391.*

Illustrissime Princeps *etc.*

Quibus verbis Vestrae Illustrissimae Dominationi gratias agam pro ea, qua me benigne respicere dignatur, gratia, equidem non reperio. Dominus Oratius,[1] Vestrae Illustrissimae Dominationis servitor (quem cum per se vidi libentissime, tum hoc libentius, quod illum audiens Vestram Illustrissimam Dominationem videre videbar, optime incolumem et omnibus quibusque benedictionibus Domini affluentem), exposuit mihi, qua clementia de valetudine mea, dum hic excurreret, inquireret,[a] et praeterea iam antea non ignotam mihi, Vestrae Illustrissimae Dominationis clementiae erga me suavitatem adiunxit. Quae omnia mihi iucunda, haec extrema etiam grata fuerunt. Interea quidquid ad tantam promerendam gratiam Vestrae Illustrissimae Dominationis pertinere arbitrabor, studiose diligenterque curabo.

Quod autem postulata mea iam antea Vestrae Illustrissimae Dominationi oblata attinet, sicut benigne illa audire et me admonere dignata

est de mittendis Germanicis nominibus earum villarum, quarum ex regestris seu Metrica Vestrae Illustrissimae Dominationis exempla literarum petenda opere precium existimavi. Nunc ea mitto, quae consequi potui, per Dominum Oratium, a quo, pro veteri nostra inter nos amicicia, petii, ut tam apud Vestram Illustrissimam Dominationem, quam in eius Cancellaria agat et effectum reddat, quidquid eo pertinet, sicut fusius ipse, ubi opus sit, refferet Vestrae Illustrissimae Dominationi... Datum Gedani, ultima mensis Ianuarii, anno Domini 1560.

[b] Vestrae Illustrissimae Dominationis
servitor addictissimus et orator
Iacobus Episcopus Wladislaviensis
et Pomeraniae subscripsit.[c]

a) *sequitur verbum expunctum.*
b)-c) *manu propria.*
1) *Horatius Curio.*

*Annexum:*

*Elenchus nominum Germanicorum villarum dioecesis Cuiaviensis:*

Die name der dorfer des herren cuiawischen bischofs, auf welche briwe, grenzende priwilegia und andere mer so als sie befunden werden in der metrica seiner furstlichen gnada, begeret eine ausschreibung der her bisschof noch der gewonheit der cancellarien seiner furstlichen genaden under den titel und pazir, alias in forma bona et autentica.

Ihm Liebschavschen ampt:
Grewe
Kuczwal [a]
Sangwertt
Mrowyn
Klosserhon
Liebencz
Biele
Mokre

Ihm Schopkawschen ampt:
Schopkav
Bisschofsberg
Hoppenbruch
Schothlant
Sanct Albrecht
Wilkancz
Bysschofsdorff
Malyn
Mesten
Gogel
Chemlicz
Gostendorff

Ihm Newenburchschen ampt:
Pienczke oder Pienczkav
Komorske
Janvscheff

Ihm Lauenburchschen ampt:
Charbrav
Leibincz [b]
Osscheke

Ihm Puczker ampt:
Schmolin [c]
Czelnav

Ihm ampt Mirschegav:
Quasse
Grosse Kacze
Janvschav oder Jansdorf

Noch ihm Liepschavschen ampt:

Alte Leslav eine stat des herren bisschofs
Junge Leslav des kuniges stat
Bankau dorf [d]
Przebislaw dorf

a) *hic in margine alia manu:* Kuwal 25 mansos et 11 iugera
b) *hic in marg. alia manu:* Lubomisze 7 uncos Labene 60 mansos
c) *hic in marg. alia manu:* Smolsin 27 mansos
d) *hic in marg. alia manu:* 38 mansos

*N. 1730.*

*Gunicio, 4.II.1560.*

*Stanislaus Ostroróg, castellanus Międzyrzecensis,*
*Alberto in Prussia duci*
*filium et uxorem defuncti Eustathii Trepka et filium Stanislai Bojanowski commendat.*

*Sigill.*

*Iam ed. Wotschke, St. Ostrorog, suppl. XV.*

*H B A, B 2, K.391.*

Illustrissime Princeps *etc.*

Proficiscitur isthuc uxor piae memoriae Eustachii Trepcae et filiolum suum, ut aliquoties mandavit, ad Illustrissimam Vestram Celsitudinem deducit. Eum Illustrissimae Vestrae Celsitudini diligenter commendo totumque fidei et clementiae Illustrissimae Vestrae Celsitudinis permitto ac rogo, ut eum ita suscipiat, ut filium olim fidelissimi et deditissimi servitoris Illustrissimae Vestrae Celsitudinis. Caeterum intercedit matri nescio quid controversiae cum quodam de libris quibusdam. Itaque eo et hoc nomine venit, ut se purget. Eam, ut viduam, orphanam et undique desertam, Illustrissimae Vestrae Celsitudini maiorem in modum commendo atque contendo, ut eam sua gratia sublevet, neque sinat iniquo iuditio opprimi. Hoc Illustrissimae Vestrae Celsitudini plane confirmare possum, esse eam pudicae vitae et honestae famae, neque quicquam aliud dicturam, quam quod res est.

Porro quanquam et me pudet et invitus facio, quod Illustrissimam Vestram Celsitudinem plus quam facilem toties interpello, fretus tamen Illustrissimae Vestrae Celsitudinis in omnes clementia et erga me benevolentia, non possum non scribere id, quod multi me scribere volunt. Stanislaus Boianowski reliquit filium optimae et egregiae indolis, paternam illam venam acumenque plane redolentis. Eius agnati et cognati una cum matre saepe me multis precibus rogarunt, ut eum Illustrissimae Vestrae Celsitudini commendarem, quo illum in numerum filiolo Illustrissimae Vestrae Celsitudinis servientium unaque discentium pro paternis meritis cooptaret. Ego autem hactenus nihil audere volui. Nunc vero, cum molesti esse pergant, ab Illustrissima Vestra Celsitudine peto, ut mihi suam mentem super hac re patefaciat.

Mathias Polej, singularis vir, mihi Posnania discedenti dixit se uxorem Trepcae comitaturum. Is si venerit, quaeso, Illustrissima Celsitudo Vestra complectatur ut hominem prudentem et rerum peritum et eum, qui Illustrissimae Vestrae Celsitudini usui esse potest. Ego haec et alia vicissim omni studio promereri studebo... Data Gunicio, 4 Februarii, 1560.

[a] Vestrae Illustrissimae Celsitudinis
fidissimus servitor [b]

Stanislaus Comes ab Ostrorog, Castellanus
Medziricensis et Capitaneus Samechensis,
[a] manu propria subscripsit.[b]

a)-b) *manu propria.*

*N. 1731.*

*Kurtowiany, 5.II.1560.*

*Stanislaus Skaszewski, capitaneus Iurborgensis,*
*Alberto in Prussia duci*
*perdices dono mittit; nuntiat litteras se accepisse ab archiepiscopo Rigensi, Gulielmo, bonam ipsius valetudinem annuntiantes et refert de servitiis suis ducissae Annae Megapolensi et filio eius Carolo, quos archiepiscopus sibi commendaverat, praestitis.*

*Sigill. Autogr.*

*H B A, B 2, K.391.*

Illustrissime Princeps *etc.*

Quamvis sui officii inserviciis commode exibendis Vestre Illustrissime Celsitudini satisfacere nequeo, ut decet probum ac fidelem servitorem sine imperio, expecto tamen mandatum ac preceptum, quod exequere acuratissime diligentissimeque curabo. Protunc autem Vestrae Illustrissime Dominacioni perdices viwos ac interemptos,[z] his diebus a me congregatos, per presencium [exhibitorem] mitto, licet exiguum munusculum, ac tamen humilime supplico Vestram Illustrissimam Celsitudinem, a me, servitore minimo, gratissime ac gratiosissime suscipere dignetur.

Insuper, Illustrissime Princeps, Domine mihi Clementissime, de optima valetudine Illustrissimi Principis Reverendissimique Archiepiscopi Rigiensis Dei gratia, Vilhelmi, Domini mihi clementissimi, largiente ope divina Vestrae Illustrissimae Dominacioni specifico. In qua salute ac valetudine bona Dominus noster Iesus Christus illius Illustrissimam Dominacionem dignetur conservare tempora in longissima. Que Sua Celsitudo hisce diebus ad me litteras transmittere dignata est, primum annunciando sanitatem Sue Illustrissime ac Reverendissime Dominacionis, tandem optando ac mandando mihi, servitori suo, ut Illustrissimae Annae[a] Duci, una cum filio Carolo, Illustrissimo Makimburgiensi[z] in domo sua tum in capitaneatu tenute meae, in omnibus morem gererem, in quibus Sue Illustrissime Dominaciones necessitarent, optarent ac mihi demandarent. Mandatis Illustrissimi ac Reverendissimi Domini satisfaciendo, in domo meo[z] aliquot dies tum tenuta sua exibui omnia necessaria ac administravi secundum posse, ut pertinet ad tantos Principes, honorifice.

Preterea gratias immortales ago Vestre Illustrissime Celsitudini pro his gratiis ac diligencia, quam exibere et peragere dignata est in negocio meo ad Sacram Maiestatem Regiam, Dominum mei clementissimum, interpellando peticionibus, optando ac precando Maiestatem illius Serenissimam. Licet nihil sum consequtus et adeptus in negocio suo, ac tamen Dominus Deus sit benedictus in secula. Hoc mihi ipse ascribo ac iudico seu usurpo infelicitatem meam, tamen ipse conabor usque ad vitam meam mereri ac servire perpetuo, uti Domino mihi clementissimo, Vestre Illustrissime Celsitudini... Datum in Kurthowiany, 5 die mensis Februarii, anno virginei partus 1560.

Eiusdem Vestrae Illustrissimae Celsitudinis
obsequentissimus

Stanislaus Skaszewski, Sacrae Regiae Maiestatis
Iurbergensis Bothocensisque Capitaneus.

a) *supra lineam.*
z) *sic in ms.*

*N. 1732.*

*Vilnae, 20.II.1560.*

*Philippus Padniewski, episcopus Premisliensis et R.P. vicecancellarius,*
*Alberto in Prussia duci*
*litteras regis ad archiepiscopum Rigensem [Gulielmum] et ad magistrum Livoniae (Gotthardum Kettler), iam per Melchiorem Kirchoff, consulem Rigensem, missas, etiam duci mittit (quae in Archivo desunt).*
*Sigill.*
*H B A, B 2, K.391.*

*N. 1733.*

*Posnaniae, 23.II.1560.*

*Lucas a Górka, palatinus Lanciciensis, capitaneus Buscensis,*
*Alberto in Prussia duci*
*pro Gulielmo Naczimer, filio Ioachimi Naczimer, tenutarii Drahimensis, quem certae personae ex possessione castri Drahim eiicere conantur, ut dux pro eo apud regem intercedat.*
*Sigill.*
*H B A, B 2, K.391.*

*N. 1734.*

*Bajtkowo, 2.III.1560.*

*Stanislaus Ławski, palatinus Masoviae,*
*Alberto in Prussia duci*
*in negotio Philippi Grune, servitoris ducis, cum coniugis suae fratribus de legitimo patrimonio eiusdem coniugis et fratrum eius, in Ducatu Masoviae sito, iustum se iudicem fore promittit.*
*Sigill.*
*H B A, B 2, K.391.*

*N. 1735.*

*Lutzen, 5.III.1560.*

*Ioannes Chodkiewicz*
*Alberto in Prussia duci*
*de oppugnatione castri Marienburgensis; de equitatu Tartarico in confinibus Regni; de Moscovia a Tartaris Perecopensibus invasa et devastata.*
*Sigill.*
*H B A, B 2, K.391.*

Durchleuchtiger, *etc.*
Wenn es E.F.G. ahn derselben leibes gesundthait und sunsten allenthalben gluglichen und wolergienge, wher ich jederzait hochlich erfrewet.

Das aber E.F.G. in derselben letztes ahn mich gethanes schraiben genedigs begeren zu forderlicher gelegenhait E.F.G. von diessem orth newes mitzutheilen, so waiss ich E.F.G. niht besunders diesmalss zuzuschraiben, dann das sich das vornhem und wolgebautes schloss Mergenburgk, so dem Orden zugehorig gewessen, den eilften tag Februarii dem Reussen, welcher zehen tag zwanzigthausendt starck darvor gelegen, durch den hausscomptor [1] und andere, so darauf gewesen, ahn noth aufgetragen und ubergeben haben und seindt die Deutschen also mit frawen und jungfrawen vom hauss abgezogen und den Reussen dass schonne hauss seines gefallens besetzen lassen. Auch etzliche haben ime geschworen und seindt geplieben. Es sollen die Reussen auch sunsten allenthalben umbher mit rauben, brennen, morden und hienwegfuren der armen leuth jung und alth ahn zal, nicht gespart und in ir landt gefueret. Der liebe Gott gebe, das dem faindt einst muge wiederstandt gethan werden, damit ehr sich niht ganz uberhebe uber die chriestenhait etc.

So haben auch die kö. mt. zu Polen etc., mein allergenedigster her, ain grosse anzal reuter von Tattern und Littawern alhie auf der grentzen liegendt. Ob nhun dieselbigen vorziehen werden oder niht, ist mir noch unwiessendt auss orsachen, dieweil der faindt wiederumb in sein landt gezogen.

Auch das der kö. mt. gemachter friedde mit dem Muskawieter noch kein ende hat, es wher dhann sach, das der faindt Lieflandt noch weiter angreifen wurde, das alsdann ir mt. den ernst darzu thun mochten. Was aber die zait hernach priengen wirdt, will E.F.G. ich dieselbigen zu gelegener zait auch verstendigen.

Weiter seindt auch uff hochst gedachter kö. mt. Nahaisczy Perakopsczy Tattern kurz verlaufener zait dem Muskawieter in sein landt gefallen, merglichen zugesetzt mit brandt, rauben und hienwegfueren der [a] leut treflichen schaden hienwiederumb zugefugt. Solches hab ich E.F.G. dessen wiessens zu haben niht verhalten wollen. Wo auch E.F.G. itziger zait etzwass newes bewust, bitt ich underthenigs E.F.G. wollen mich derselbigen auch theilhaftig werden lassen.

Ferner so kann ich E.F.G. auch undertheniger meynung niht pergen, das E.F.G. hoffdiener Jacob Modrzewsky kurtz verschiener zeit alhie mit leibes schwachait dermassen beladen worden, also das ime unmuglichen und noch E.F.G. bis daher zu ersuchen. Dieweil aber solches dem lieben Gott also gefellig, hat er es also in den wielen Gottes heimgestelt. Sobald ehr aber zu seiner vorigen gesundthait khomen wierdt, ist ehr des vorhabens, sich in E.F.G. vorige gewarsam wiederumb zu begeben und wo ess schon ausserhalb diesser seiner schwachait gewessen, wher ime doch unmuglichen dess fayndts halben von diesem orth itziger zait ahn leibs gefhar ahn E.F.G. zu gelangen. Derhalben ahn E F.G. mein ganz underthenige bitt, E.F.G. wollen inen doch diesser erzelten orsachen halben seines langen aussenbleibens genedigs entschuldigt nhemen etc...

Datum Lutzen den 5 Marcii anno 60.

E.F.G.
undertheniger und ganz williger
[b] Johannes Chodkovitz
manu propria subscripsit.[c]

a) *sequitur expunctum:* armen
b)-c) *manu propria.*
1) *forsitan Gert von der Tinnen.*

N. 1736.

*Zamek (Samech) in Russia, 12.III.1560.*

*Stanislaus Ostroróg, castellanus Międzyrzecensis,*
*Alberto in Prussia duci*
*de 50000 Tartarorum in confinibus Russiae periculosa praesentia.*
*Sigill.*
*H B A, B 2, K.391.*

Illustrissime Princeps *etc.*

Cum haberem cui darem, pro mea eximia erga Illustrissimam Vestram Celsitudinem observantia, qua eam mihi certo quodam meo iuditio loco patroni atque adeo alterius parentis perpetuo colendam sumpsi atque delegi, neque committere neque continere potui, quin Illustrissimam Vestram Celsitudinem meis interpellarem literis ac ea, quae illam scire opus esse iudicabam, perscriberem. Igitur Illustrissimam Vestram Celsitudinem certiorem facio, plus minusve quinquaginta Scytharum millia in confinibus Russiae consedisse et castra ad fluvium quendam posuisse. Quo vero erupturi, utrum arma in nostrates an in Moschos conversuri sint, nondum constat. Ut hominum est opinio et coniectura et metus fert, in nostras provincias impressionem facturos credibile est. Sed cum quid certi exploratique habebo, scribam. Interim Illustrissimam Vestram Celsitudinem belle valere cupio ac oro, ut Illustrissima Vestra Celsitudo me, qui illius honoris, fortunarum, existimationis salutisque studiosissimus est ac sibi de ea plus, quam de alio ullo huius orbis Principe, pollicetur, sua clementia prosequi pergere dignetur. Data ex arce Samech in Russia, 12 Martii, 1560.

[a] Vestrae Illustrissimae Celsitudinis
fidissimus servitor
Stanislaus ab Ostrorog manu propria
subscripsit.[b]

a)-b) *manu propria.*

N. 1737.

*Quidzini, 18.III.1560.*

*Raphael Leszczyński, capitaneus Radziejoviensis,*
*Alberto in Prussia duci*
*de moliminibus adversus subditos ducis in oppido Kwidzyń structis, qua de re a fratribus Bohemis edoctum se esse nuntiat; oppidanos perterritos esse et auxilium ducis expetere.*
*Vest. sigilli.*
*H B A, B 2, K.391.*

Durchleuchtiger, *etc.*

Nachdem ich in allerley mit E.F.G. vor und in meinem jungstem abscheiden gehabter personlichen unterredung und handlung E.F.G. Ir

F.G. geneigtes gemuth gegen mir gespirt, erkhenne ich mich dakegen, neben hoher danckbarkeit, pfluchtigk zu sein, E.F.G. loblichen und christlichen nahmen sovil an mir zu fordern und denselben zu meren helfen etc.

Nhun khan ich E.F.G. dinstlichen in unterthenigkeit nicht pergen, das ich weitleuftig, weil es nicht heimlich, sonder desselben orts lautbar, eins[a] gfasten vornehmens und ansinnens kegen E.F.G. unterthane der stadt Mariawerder kundig worden und zu meiner ankhunft als heut dinstag uf mein weiter nochfragen von meinen mitbrudern in Christo, den Behemen, volkomlichen bericht des handels umbstende entpfangen, auch das es ein merckliches und grosses schrecken in das arme völcklein in betrachtung ires geringen vormögens erreget, von ihnen erforen. Befinde also gleichwol bel mir als dem wenig verstendigen, so dem hendel wil vleisig nochgdacht werden, das es (wo demselben die volg geleistet werden soldt) one E.F.G. schaden nicht wol, sonder wo es anderst dahin, wie zu hoffen gerathen soldt, zu endtlichen verterb und unthergang gemeltes E.F.G. stedtleins, auch anderm derselben amptsnuzung[b] mer gereichen wuerde, welchs ich[c] zuvorderst E.F.G. und inen nicht gern gunnen, viel lieber verhüetet sehen und wissen wolt. Bien dennoch auss christlichen tragendem mitleiden irer, bevor aber in E.F.G. besten zu seyn, an E.F.G. derentwegen vor sie zu schreiben durch mein selbst eigen zugendts[d] hertzlichs gemuth und das ia ein christ des andern anligen und vorstehende noth sich billich annehmen soll, geursacht worden dinstlichs untertheniges, demutiges vleises bittende, E.F.G. wolden der armen erst angehende narung und ihr ihr geringschezige habe beherzigen, sie auf dismal in dem verschönen und sie solcher schweren untreglichen burgschaft einer so zimblichen hohen summa gelds mit gnaden entnehmen uff sondere mittel und wege, damit E.F.G. ire not stillen und iren schönen nahmen uff Ir F.G. aldter erhalten khönnen gdencken, sie meiner vorbitt bei E.F.G. gnislich entfinden lassen. Bien hinwiedruemb E.F.G. mit meinem angebotnem kleinen vermögen beizustehn und zu retten mit der angesetznen zeit umb irentwillen lenger dahnn wie ich mit E.F.G. verlassen zu entweichen und mit der erstreckung zu unterthenigen gefallen zu geloben orbitigk und wo ich ausserhalbt des E.F.G. unterthenige dinstleistung, ehrerbittung, hulf und beistandt nach der vermögenheit zu erzeigen wissen werde khönnen und mogen, sall kein vleiss an mir erwinden, der unterthenigen dinstlichen unzweifelichen hoffnung, E.F.G. solchs mein schreiben wolmeinendt vermercken, in gnaden an und aufnehmen werden, auch das etwas fruchtbarliches darauf erscheinen wirdt. Thue also hiemit E.F.G. zu langer leibs gesundtheit und friedlicher ruiger regirung Gott dem Allerhochsten befelhen. Datum Mariawerder den 18 Martii anno etc. LXten.

Ewer Furstlichen Gnaden
ganzwilliger diner
[e] Rachwalt Leschczynsky stharost
awf Rhadzeow manu propria subscripsit.[f]

a) *sequitur verbum expunctum.*
b) *in verbo lit. expuncta.*
c) *in margine.*
d) *lectio inserta.*
e)-f) *manu propria.*

*N. 1738.*

*Vilnae, 21.III.1560.*

*Georgius Chodkiewicz, incisor regius,*
*Alberto in Prussia duci*
*equum gradarium parvae staturae pro filio ducis mittit eumque prolixius describit et laudat.*

*Sigill.*

*H B A, B 2, K.391.*

Illustrissime Princeps *etc.*

Accepi nuper ex satelite Regiae Magestatis, Domino Vincentio Ruskowski, Celsitudinem Tuam delectari equis gradariis, qui a natura sint parvi. Qua re cognita, non potui hac in re Celsitudini Tuae, Domino meo clementissimo, non gratificari. Quam ob rem mitto per eundem Celsitudini Tuae equuleum nigri coloris, caudam et iubam minio decoloratum, et cuius posteriora et anteriora pedesque albo crine candicant, qui ut celeritate gradus, ita pedum certitudine ac robore non contemnendus. Hoc exiguum munusculum et vile, etsi Tuae Celsitudini parum conveniens putavi, tamen filiolo Celsitudinis Tuae non ingratum fore existimo. Quod ut Tua Celsitudo tanquam monumentum animi studiique mei perpetui erga Celsitudinem Tuam clementer ac benigne suscipiat, etiam atque etiam precor. Et quibuscunque in rebus, etiam magis seriis et gravioribus, mea offitia atque studia declarare potero, promptissima semper defero... Datum Vilnae, 21 Marcii, anno Domini MDLX.

Illustrissimae Celsitudinis Tuae
addictissimus
Georgius Chodkievicius, Incisor
Regiae Maiestatis etc.

*N. 1739.*

*Vilnae, 4.IV.1560.*

*Philippus Padniewski, episcopus Premisliensis, R.P. vicecancellarius,*
*Alberto in Prussia duci*
*mittit diploma regium confirmationis Academiae Regiomontanae, secundum formulam a duce desideratam confectum.*

*(Schedula adiuncta)*

*Sigill.*

*H B A, B 2, K.391.*

Illustrissime Princeps *etc.*

Ex Generoso Rainoldo Krokaw, Praefecto Illustrissimae Celsitudinis Vestrae Hollandiensi, intellexi, quae Illustrissimae Celsitudinis Vestrae postulata fuerint de privilegiis, scholae Regiomontanae ab ea tributis, per Sacram Regiam Maiestatem confirmandis. Qua quidem in re mihi explicanda atque in iis, quae ad totius negotii rationem pertinebant, exequendis omne officium industrii diligentisque hominis abunde ex sese praestitit. Cum primum autem de Illustrissimae Celsitudinis Vestrae vo-

luntate ab illo accepi, lubens pro instituta mea in Illustrissimam Celsitudinem Vestram observantia egi, ut illi in eo satisfieret. Itaque mitto ad Illustrissimam Celsitudinem Vestram diploma confirmationis Sacrae Regiae Maiestatis, secundum eam formulam, quam Illustrissima Celsitudo Vestra perscriptam huc miserat, confectum. Quod idem studium meum caeteris omnibus in officiis, quaecunque Illustrissimae Celsitudini Vestrae tribui a me hic poterunt, velim propositum sibi esse Illustrissima Celsitudo Vestra statuat... Datum Vilnae, quarta die mensis Aprilis, anno Domini MD sexagesimo.

[a] Illustrissimae Dominationis Vestrae
obsequentissimus servitor
Philippus Episcopus et Vicecancellarius
Regni subscripsit.[b]

*Schedula adiuncta:*

Mandatum ad Magnificum Dominum Castellanum Gedanensem, Terrarum Prussiae Thesaurarium,[1] de numeranda Illustrissimae Celsitudini Vestrae pensione, quam a Sacra Regia Maiestate in annos singulos constitutam habet, brevi missurus Illustrissimae Celsitudini Vestrae sum. Misissem autem in praesentia quoque, nisi subscriptio Regiae Maiestatis nonnullam moram nobis adferret.

a)-b) *manu propria (aureo atramento).*
1) *Ioannes Kostka.*

*N. 1740.*

*Cracoviae, 10.IV.1560.*

*Ioannes Ocieski, R.P. cancellarius,*
*Alberto in Prussia duci*
***intercedit pro Stanislao Tchórzewski (Tuchorzewski), ut ei bona quaedam, a duce in possessionem concessa, divendere liceat.***
***Sigill.***
*H B A, B 2, K.391.*

*N. 1741.*

*Vilnae, 15.IV.1560.*

*Philippus Padniewski, episcopus Premisliensis, R.P. vicecancellarius,*
*Alberto in Prussia duci*
*mittit mandatum regium ad thesaurarium terrarum Prussiae de pensione annua duci numeranda.*
*Sigill.*
*H B A, B 2, K.391.*

Illustrissime Princeps *etc.*

Mitto Illustrissimae Celsitudini Vestrae literas mandati Sacrae Regiae Maiestatis ad Magnificum Dominum Castellanum Gedanensem[1] de pensione, quae Illustrissimae Celsitudini Vestrae ex Tesauro Prutenico

quotannis praestari consuevit, illi numeranda. Lubens autem id iam pridem ad Illustrissimam Celsitudinem Vestram misissem, nisi dolor manus Regiae Maiestatis nonnullam in eo subscribendo moram nobis attulisset. Quam quidem eam scilicet ob causam, quod necessario suscepta sit, Illustrissima Celsitudo Vestra boni consulere dignetur... Datum Vilnae, die XVa Aprilis, anno Domini MDLX.

[a] Illustrissimae Dominationis Vestrae
obsequentissimus servitor
Philippus Padniewski, Episcopus Premisliensis
et Vicecancellarius subscripsit.[b]

a)-b) *manu propria (aureo atramento).*
1) *Ioannes Kostka.*

*N. 1742.*

*Posnaniae, 22.IV.1560.*

*Lucas a Górka, palatinus Lanciciensis, capitaneus Buscensis,*
*Alberto in Prussia duci*
*aliquem Diogenem, litterarum exhibitorem, commendat.*
*Sigill.*
*H B A, B 2, K.391.*

*N. 1743.*

*s.l. [IV.1560]*

*Ioannes [Pawłowicz] Podskarbowicz*
*Alberto in Prussia duci*
*queritur de [Ioanne de Pusch], capitaneo Angerburgensi, qui, spreto ducis mandato, cmethones ei restituere non vult.*
*Sigill.*
*H B A, B 2, K.391.*

Durchlauchtigiester, *etc.* Mheinen auch unterthenigen, gehorsamen, schuldigen, vopflichtwielligen dinst mit leib und gutt zu tage und nacht nach hochsten vormögen zuvorn. Mein gnedigister furst und her. Ich thu mich zuvoraus gegen E.F.G. als meinem gnedigsten hern vor grose gnedige ehrerzegung aufs unterthenigst hochlich und dinstlich bedancken.

Gnedigster furst und her. E.F.G. wiessen sich zweifelohn gnedigkst zu erinnern, das E.F.G. nach diesser lautenden eingelegeten kopey *) gnedigst mir ein brief gegeben an E.F.G. heuptman zur Angerburgk Puschen. Do ich dann E.F.G. schreiben und befelch durch meine diner im zugeschickt unde vorhofft, nach E.F.G. ernstlichen schreiben sollen mir die leut unforhalten sein gefolget worden. So ist E.F.G. schreiben bey im niht sunderlich geacht worden, sundern drei alte pauern brengen lassen der meinigen, sie gefenglihen eingezogen sprechende, weiber und kinnde er niht pfangen, do doch möglicher, ein weib und kindt zu fangen ist. Letzlichen zu meinem

diner gesprochen, ir moget die drey hinnemen, aber gutt woldt er nicht dafur sein, das sie inen underwegen niht wieder genumen werden. In dem balde meine diner in erfarung kommen, das der heuptman etzlihe pauern budeniker bestaldt hat, meinen dienern auf der grentz wieder zu nemen. So haben siess nachgelassen und die drey perschonen, dieweil sie auch weib und kindt beraubt waren, niht angenummen und wieder dafongezogen, sich auch befurcht, das sie underwegen niht derschlagen möchten werden. Do sie auf den bescheht niht annamen, haht der heuptman zu meinen diner gesprochen: « Sagkt ewerem herren, so er geldt bedorf, wiel ich im geldt vor die leut geben und ehr bedorft die leudt und pauern in seinen hoff ».

Gnedigster furst und her. Ich bedarf seines geldes niht, sundern ich bedarf die meinigen auch umb meinen hoff. Diess gebe ich E.F.G. in unterthenikeit zu erkennen, wie mir die gerechtikeit wiederferet und E.F.G. ernstlichen schreiben gefolget wierdt. Nu weiss ich niht mer zu thun, sundern E.F.G. untertenigst bieten thu umb einen gutten ratt, weil der heuptman E.F.G. schreiben und befelch niht folgen thut, wie ich sie unschedlich bekomen möcht, oder wo ich mich weiter zu beklagen hett. Solches wiel ich wiederumb E.F.G. mit gehorsam in unterthenikeit zu vordinen mit leib, gutt und bludt nach hochsten vermogen schuldigk erfunden sein...

E.F.G.
gehorsamer auch unterteniger
schuldiger vorpflichtwieliger diner
Jhann Potzkarboitt

*) *deest*

*N. 1744.*

*Poltoviae, 4.V.1560.*

*Andreas Noskowski, episcopus Plocensis,*
*Alberto in Prussia duci*
*de tempore regundorum finium sententiam ducis cognoscere cupit; suffraganeum suum, Bieliński, commendat, ut opera et arte chirurgi ducis in propellendo oculorum morbo uti possit.*

*Sigill.*

*H B A, B 2, K.391.*

Illustrissime Princeps *etc.*

Quam studiosa et propensa semper fuerit voluntas mea ad sustinendum hunc regundorum finium laborem, non dubito, quin Illustrissima Dominatio Vestra cum ex literis meis, tum vero ex illa opera, quae superioribus annis in eam rem fuerat a me collocata, satis abunde perspicere possit. Iam vero et illae literae, quae ab Ilustrissima Dominatione Vestra anno superiori fuerunt mihi redditae, me una cum meis collegis ad perficiendum hoc munus primo quoque tempore evocassent, nissi [z] negotium nobis eripuisset illud pestilitatis naufragium, in quod omnes pene provincias, precipue tamen istas, quae locum limitibus daturae erant, divino permissu misere coniectas vidimus. Nunc autem, cum iam divina clementia regiones omnes ex illis procellis emerssisse [z] omnique periculo et metu liberatas esse aspiciamus, mihi certe in animo est, ut in proximo authumno, mense praesertim Septembri, Deo Optimo Duce negotium hoc

tandem aggrediamur, quo ita et officio, quod Reipublicae a me debetur, et Illustrissimae Dominationis Vestrae studio per me et meos collegas satisfieri possit. Qua de re iam ego cum meis collegis per literas communicavi, modo Illustrissima Dominatio Vestra, Dominus meus clementissimus, et mihi et meis collegis voluntatem quoque suam ea de re benigne declarare dignetur.

Praeterea proficiscitur Regium Montem Dominus Iacobus Bielinski, Sufraganeus meus Plocensis, celebri fama Ruperti,[1] Illustrissimae Dominationis Vestrae aulici chirurgi, inprimis excitatus, quo in propellendo oculorum morbo opera et arte ipsius uti possit. Hunc ego hominem singulari et vere fraterno amore merito amplector, cum propter ipsius singularem doctrinae excellentiam vitaeque integritatem, qua is praecipuum Ecclesiae meae adfert ornamentum, tum propter officia ecclesiastica, in quibus obeundis multum is, quamdiu senssus[z] oculorum ipsi maneret, adiumentum senectuti meae adferre solebat. Quo nomine summa quaedam cura et solicitudo in animo meo de recuperanda ipsius valetudine indies augetur. Eum igitur isthuc euntem Illustrissimae Dominationi Vestrae, Domino meo clementissimo, quo maiore possum studio commendo submisseque ab ipsa supplex peto, ut et operam chirurgi istius, qui in aula est Illustrissimae Dominationis Vestrae, ipsi non negare et in rebus caeteris omnibus gratiam suam eidem clementer declarare dignetur. Quidquid autem clementiae ab Illustrissima Dominatione Vestra in eum fuerit profectum, id ego non in Sufraganeum meum, sed in me ipsum collatum esse existimabo omniumque servitiorum promptitudine una cum ipsius universa familia Illustrissimae Dominationi Vestrae, Domino meo clementissimo, officiose promereri studebo... Datum Poltoviae, IIII Maÿ, anno Domini MDLX.

Illustrissimae Dominationis Vestrae
servitor obsequentissimus
[a] Andreas Episcopus Plocensis manu
propria subscripsit.[b]

a)-b) *manu propria.*
z) *sic in ms.*
1) *Fink.*

*N. 1745.*

*Posnaniae, 9.V.1560.*

*Lucas a Górka, palatinus Lanciciensis,*
*Alberto in Prussia duci*
*respondet ad litteras ducis de distractione animorum inter Polonos et Lithuanos ratione patrocinii Livoniensium.*

*Sigill.*

*H B A, B 2, K.391.*

Illustrissime Princeps *etc.*
Illustrissime Princeps.
Reddite mihi sunt litere Illustrissime Vestre Celsitudinis, quibus commemorat fama ad Illustrissimam Vestram Celsitudinem perlatum quandam animorum distractionem inter Poloniae Regnum et Magnum Ducatum Lithuaniae racione Livoniensium patrocinii incidisse. Quae quia

propter imminencia a Moscis pericula plurimum mali parere posset, hortatur me Illustrissima Vestra Celsitudo, ut curam omnem impendam, ne vires sumat, sed in tempore salutaria remedia adhibeantur pristinaque animorum coniunctio reducatur.

Ad quas Illustrissime Vestre Celsitudinis literas eidem respondendo, Illustrissimam Vestram Celsitudinem ignorare nolo, de huiusmodi animorum alienacione distractioneque inter Poloniae Regnum et Magnum Lithuaniae Ducatum racione Livoniensium patrocinii in presens certi nihil ad me esse perlatum, neque, quantum ego recordor, in publico Comiciorum Peterkoviensium proxime preteritorum consessu me presente talem aliquam mencionem incidisse, que enormem in se distractionem redoleret. Etenim verum est nos non leviter in eo a Lithuanis offensos esse, quod ipsi cum Livonensibus certa pacta transactionesque, nobis, Regni Consiliariis, ad partem reiectis penitusque nesciis, fecerint. Verum quod ea offensio tanta esse debeat, cuius respectu Lituania periculo exposita deserenda nobis esset, haud cuiusquam sentenciam esse arbitror. Aequidem historiae omnium illorum temporum, a quibus Magnus Ducatus Lithuaniae Regno Poloniae adsociatus incorporatusque fuit, testantur a nostratibus magna animorum alacritate genti Lithuanice contra quosvis hostes socia auxilia semper esse prestita, et sepius eas provincias (absit verbo invidia) maximo metu periculoque nostrorum opera liberatas esse. Quin igitur eadem in presens nostrorum erga eosdem socios sit affectio, maxime cum id ipsum mutua quoque federa exposcant, in nullum dubium pono. Ceterum quod ad personam meam attinet, sedulo enitar, ut tam ad postulacionem Illustrissime Celsitudinis Vestre, quam quod id ipsum ad communem utrinque salutem vergere videam, in illis omnibus, que a me requirit studium meum, opera et fides conspicua fiat. Quod Illustrissime Vestre Celsitudini, quam optime diutissimeque valere exopto, rescribendum esse putavi, eiusdem clemenciae me diligentissime commendans. Datum Posnaniae, 9 Maii, anno Domini MDLX.

[a] Vestre Illustrissime Celsitudinis servitor
Lucas Comes a Gorka, Palatinus Lenciciensis,
Capitaneus Buscensis,[b]

a)-b) *manu propria.*

*N. 1746.*

*Vilnae, 11.V.1560.*

*Philippus Padniewski, episcopus Premisliensis, R.P. vicecancellarius, Alberto in Prussia duci*
*de mandato regio ad thesaurarium terrarum Prussiae in causa annuae pensionis duci numerandae, pro singulis annis valido, et de negotio controversorum finium inter Ducatus Prussiae et Lithuaniae.*

*Sigill.*

*H B A, B 2, K.391.*

Illustrissime Princeps *etc.*

Quod ad me Illustrissima Celsitudo Vestra scripsit, ut apud Sacram Regiam Maiestatem agerem, quod eiusmodi literas Illustrissimae Celsitudini Vestrae ad Dominum Castellanum Gedanensem, Terrarum Prus-

siae Tesaurarium,[1] dari mandaret, quibus Illustrissima Celsitudo Vestra quotannis pensionem, quam in Tesauro Prutenico constitutam habet, consequeretur, neque necesse haberet annis singulis nova mandata Regiae Maiestatis ad illum flagitare, id lubens curaturus sum atque easdem literas, cum primum confectae erunt, ad Illustrissimam Celsitudinem Vestram transmissurus.

[a] Egi quoque apud Regiam Maiestatem de controversis illis finium Lituanicorum particulis Illustrissimae Celsitudini Vestrae tradendis, neque in eo quicquam studii praetermissum a me est. Itaque Regia Maiestas recepit constituram [z] primo quoque tempore se ea de re cum Consiliariis Magni huius Ducatus atque in eo gratificaturam Illustrissimae Celsitudini Vestrae esse. Quod ut quam primum fiat, omne officium meum, pro mea in Illustrissimam Celsitudinem Vestram observantia, extabit.[b]... Datum Vilnae, XI die mensis Maii, anno Domini MD sexagesimo.

[c] Illustrissimae Dominationis Vestrae
obsequentissimus servitor
Philippus Padniewski, Episcopus Premisliensis
et Vicecancellarius Regni subscripsit.[d]

a)-b) *linea subductum.*
c)-d) *manu propria (aureo atramento).*
z) *sic in ms.*
1) *Ioannes Kostka.*

*N. 1747.*

*Goluchoviae, 12.V.1560.*

*Raphael Leszczyński, capitaneus Radziejoviensis,*
*Alberto in Prussia duci*
*de negotio 16 millium pecuniarum summa duci mutuo praestanda.*
*(Cum schedula agglutinata)*
*Sigill.*
*H B A, B 2, K.391.*

Illustrissime Princeps *etc.*

Posteaquam Deus Creator, Conservator et Redemptor generis humani, me ex ecclesia Antichristi, pro immensa misericordia sua, in Ecclesiam suam aeternam, in hac vita voce ministerii collectam, vocare dignatus est, summum ac praecipuum studium mihi semper fuit, ut in illa politia et sub illo magistratu, qui veram vocem Evangelii sonaret ac retineret, possessionem bonorum aliquam pro certa peccuniae summa adipisci possem. Cuius rei ex illo mutuo colloquio, Regiomonte inter Illustrem Celsitudinem Vestram et me habito, animi mei sentenciam credo satis declaratam habet. Cum inter nos esset sermo de mutui datione Illustri Celsitudini Vestrae sedecim millium talerorum, in qua summa peccuniae ab Illustri Celsitudine Vestra in cautionem hipothecariam aliqua praefectura Ducatus Illustris Celsitudinis Vestrae mihi daretur. In quo me non difficilem praebui, immo meam in eo ac lubens operam obtuli, cum scirem Illustrem Celsitudinem Vestram in magistratu a Deo sibi concesso hospitium Evangelio dedisse ac eiusdem protectorem esse.

Nunc quia meam in eo operam et ut, quod verbis pollicitus sum, re ipsa praestem, requirit, praestabo ac in eo spes Illustris Celsitudinis Vestrae a me minime frustrabitur, dummodo nonnihil spatii temporis ad recolligenda a creditoribus meis debita mihi concedat, precor. Et ut in eo meum erga Illustrem Celsitudinem Vestram summum studium ac diligentem observantiam declarem, daturus sum interea temporis in mutuum Illustri Celsitudini Vestrae octo millia talerorum ad decursum sex mensium absque omni censu, dummodo ab Illustri Celsitudine Vestra, Domino mihi clementissimo (si id pace ac gratia Illustris Celsitudinis Vestrae fieri possit), per Senatum Regiomontanae civitatis mihi pro hac summa caveatur, ne ego posthac vel liberi mei (cum omnibus nascentibus nihil sit certius morte et nihil incertius hora mortis) damnum aliquod patiantur. Quod Illustrem Celsitudinem Vestram, tanquam Principem christianum, pro sua erga me clementia, ut non optare, sic de certitudine ac cautione summae istius curaturum non dubito.

Pro qua summa peccuniae octo millium talerorum tollenda ac Illustri Celsitudini Vestrae defferenda Dominum Nostfficz, Consiliarium,[1] mittat, vel quos Illustris Celsitudo Vestra voluerit. Malim autem eos, cum quibus mihi nonnulla familiaritas intercessit, qui litteras cautionis secum una adferent, qui item responsum de negotio hoc ulterius tractando, videlicet de levanda reliqua summa octo millium tallerorum, item de conditionibus cautionis hipotecariae praefecturae alicuius Illustris Celsitudinis Vestrae, quia nunc nihil certi litteris Illustris Celsitudinis Vestrae respondere potui, refferent. Ego vero interea temporis a data istius summae octo millium talerorum, intra sex menses reliquum summae octo millia talerorum sum repositurus, dummodo hii, quos Illustris Celsitudo Vestra mittet pro tollenda summa hac peccuniae, veniant ad Goluchow ad 27 diem mensis Maii. Nam is tabellarius Illustris Celsitudinis Vestrae 12 mensis Maii, cum iam fere in crastino eiusdem diei thermas causa curandae salutis uxoris meae proficisci decretum erat, litteras Illustris Celsitudinis Vestrae mihi obtulit, propter quas profectionem hanc meam usque ad 27 diem mensis Maii differre libuit. In crastino vero eius diei decretum iter prosequar necesse est, propter adversam valetudinem uxoris meae. Quare ne diem hanc negligant, precor, vel si ad diem 27 mensis Maii Illustris Celsitudo Vestra mittere non poterit, expectet usque ad sextum diem mensis Iulii. Nam hoc tempore certo certius sum domum rediturus. Illos vero, quos Illustris Celsitudo Vestra pro tollenda hac peccuniae summa mittet, si id visum fuerit, Thoruniam usque deducendos ac equitibus propter tutum transitum providendos curabo... Datum in Goluchow, 12 mensis Maii, anno Domini 1560.

Illustris Celsitudinis Vestrae servitor
Raphael Leschczynsky, Radzeowiensis
Capitaneus manu propria.

*Schedula agglutinata:*

Est oppidum Radzieiow tenutae meae distans a Torunia sex milliaribus. Ibi isti, quos Illustris Celsitudo Vestra mittet, descendant ad Vicecapitaneum. Is daturus est illis ductorem viae ad Goluchow. Sittum est oppidum in via publica.

1) *Casparus Nostitz.*

N. 1748.

*Vilnae, 13.V.1560.*

*Philippus Padniewski, episcopus Premisliensis, R.P. vicecancellarius, Alberto in Prussia duci*
*de negotio marschalci Livoniae [Philippi Schall de Bell]; de finibus controversis; de mandato regio in causa annuae pensionis duci mittendo.*
*Sigill.*
*H B A, B 2, K.391.*

Illustrissime Princeps *etc.*

In agenda apud Sacram Regiam Maiestatem causa Domini Marschalci Livoniae omne studium meum extitit, lubenterque in eo illi, cum ipsiusmet gratia, tum Illustrissimae Celsitudinis Vestrae commendationis causa, opera mea commodassem. Ac sane Regiae item Maiestatis propensum animum ad fortunas illius constituendas levandamque necessitatem perspexi. Porro quid intercedat, quominus adhuc Sacra eius Maiestas certi quicquam in eo constituerit, Illustrissima Celsitudo Vestra ex ipsius literis cognoscet.

[a] De portionibus illis finium controversis Illustrissimae Celsitudini Vestrae tradendis non desino apud Regiam Maiestatem agere, neque quicquam studii, ut ea res primo quoque tempore ad effectum deducatur, intermittam.[b]

Literae mandati ad Dominum Castellanum Gedanensem [1] de numeranda Illustrissimae Celsitudini Vestrae quotannis constituta pensione absque aliis literis Regiae Maiestatis, confectae iam sunt. Sola Maiestatis eius subscriptio adhuc in mora est, quominus eas Illustrissimae Celsitudini Vestrae in praesentia miserim. Quam tamen procuraturus sum atque easdem literas primo quoque tempore ad Illustrissimam Celsitudinem Vestram missurus... Datum Vilnae, die XIII mensis Maii, anno Domini MDLX.

[c] Illustrissimae Dominationis Vestrae
obsequentissimus servitor
Philippus Episcopus Premisliensis
et Vicecancellarius Regni subscripsit.[d]

a)-b) *linea subductum.*
c)-d) *manu propria (aureo atramento).*
1) *Ioannes Kostka.*

N. 1749.

*Kurtowiany, 14.V.1560.*

*Stanislaus Skaszewski, capitaneus Iurborgensis, Alberto in Prussia duci*
*in hiemali expeditione bellica omnibus equis perditis, a duce petit, ut sibi equum unum pro futura expeditione mittere velit.*
*Vest. sigilli.*
*H B A, B 2, K.391.*

N. 1750.

Stobnica, 19.V.1560.

*Martinus Zborowski, palatinus Posnaniensis,*
*Alberto in Prussia duci*
*de dissensionibus inter Polonos et Lithuanos in negotio Livonico; de necessitate Conventus Generalis indicendi.*

*Sigill.*

*H B A, B 2, K.391.*

Illustrissime Princeps *etc.*

Praetermittere nolui, quin litteris meis Tuam Celsitudinem non inviserem. Sane perfecteque omnia hec percepi ex litteris, que mihi a Tua Celsitudine oblatae sunt, in quibus omnia digna, vera honorifficaque sunt et apud omnes homines sincere possunt esse acteptabilia, que puram veritatem in se continent. Itidem curam Tua Celsitudo habet, ne hoc dominium Livonicum in manus hostium irrepsisset. Et presertim quicquid hoc tempore agitur Livonicae provintiae, ne hoc posthac in vicinis, tam Lithwaniae quam Poloniae Regno, agitaretur (quod absit).

Illustrissime Princeps, latere non potui significareque illi, quod anno preterito elapso Cracoviae aliqui Consiliarii circa Maiestatem Regiam aderamus, qui illi consilium prebuimus omnes[a] tale, quicquid inter nos percepimus. Sacra Regia Maiestas nostro consilio minime adhesit, sed potius consilio se Consiliariorum Ducatus Lithwaniae applicuit.

Ceterum de unitis Lithwanis cum hoc Regno Inclito Poloniae difficillimum est hanc ob causam, quod Domini Lithwanicae provintiae, spem habendo suis viribus, in omnibus nos postponunt, prout assueti sunt talia facere. Cum vero res ad Triarios pervenisset, Lithwani sine Polonis, durum erat eis contra stimulum calcitrare hostique reprimi, quod in hoc recens memoria apparet tam in kronicis, quam etiam apud omnes proceres Regni, qui deffendendo Ducatum Lithwaniae memoriam suam obsigillaverunt sanguine suo. Quot et quam plures nostri confratres illis temporibus, neccessitate urgente, cladem quidam[z] acteperunt!

Illustrissime Princeps, essent multa scribenda, quae hoc tempore praetermitto hanc ob causam, non tamen per litteras, sed potius de hiis maluissem cum Tua Celsitudine oretenus loqui, quam per litteras. Sed neccessum est in his omnibus, ut Regia Maiestas unanimi conventu nobiscum, Consiliariis ac proceribus Regni huius Incliti Poloniae, adesset consilioque tali occurendum esse, quin hoc utriusque provinciae, tam Lithwaniae quam Poloniae Reipublicae, commodum attulisset.

Sacra Regia Maiestas, Dominus Clementissimus, dignata est litteris significare de Livonicis, verum etiam provisione locorum finium inter dominia hec consistentium, ut Suae Maiestati consilium meum praeberem. Ego id, quanto citius potui, in his omnibus Suae Maiestati significavi, ut Sua Maiestas quam citissime Conventum Generalem Regni, secundum locum et tempus, instituisset. In quo Conventu de hiis rationibus tractandum, et non alio, esset... Datum Stobnitiae, 19 Maii, anno Domini MDLX.

Martinus a Zborow, Pallatinus Poznaniensis,
Odalanoviensis, Stobnicensis, Schidloviensis
Capitaneus, [b]manu propria.[c]

a) *in margine.*
b)-c) *manu propria.*
z) *sic in ms.*

N. 1751.

*Wiewiórka, 21.V.1560.*

*Ioannes Tarnowski, castellanus Cracoviensis, exercituum R.P. capitaneus, Alberto in Prussia duci*

*Polonos Lithuaniae periculis expositae opem ferre non posse asserit, nisi prius de propria ipsorum salute et ab hostibus firmo praesidio securi essent.*

*Sigill.*

*H B A, B 2, K.391.*

Illustrissime Princeps *etc.*

Eum semper animum conservo, ut non solum benignis adhortacionibus, verum eciam mandatis quibuscunque Illustrissimae Celsitudinis Vestrae promptissima voluntate cupiam morem gerere. Et hac in re, uti summe necessaria, quemadmodum me Illustrissima Celsitudo Vestra hortari et monere dignatur, omnem certe diligentiam, curam et studium praestare libenter vellem, quod Sacrae Regiae Maiestati, Domino meo clementissimo, honorificum ac deinde cum fructu Reipublicae non tantum Regni huius, sed et Magni Ducatus Lituaniae coniunctum sit, quandoquidem bonum vicissim et malum, si quod uni harum provinciarum inferatur, in alteram successu temporis redundare potest. Et tametsi plures causae non sunt mihi incognitae, quae harum dicionum publicam quietem et mutuam charitatem benevolenciamque regnicolarum interturbare possint, tamen nescio, an alicuius animus ita offendi possit, ut Magno Ducatui Lituaniae, fratribus suis, auxiliari non cupiat, siquidem hoc saltem commode fieri posset. Hoc solum pro confirmato habeo: finibus Regni omni praesidio firmo nudatis et in praedam hostibus undique circum circa impendentibus expositis, ut aliquod Ducatui Lituaniae subsidium afferri possit, de eo cogitare vel sermonem instituere non solum difficile, verum eciam est impossibile, tantum abest, ut aliquid certi constitui possit.

Nam ut alia plurima nunc omittam impedimenta, Thurcicum praesidium in arce Filogk,[1] non pluribus quam triginta milliaribus distante Cracovia, constitutum imminet, unde nobis aliquando periculum expectandum est. Tartarorum rabies alia ex parte nos cingens adeo propinqua, ut facile incursione facta incommodare possit, quae tametsi pensionibus detinetur, eorum tamen perfidiae nihil tribuendum est. Tum Moldaviae gens perfidissima et quae Thurcae paret, satis superque iusta impedimenta afferunt. Quos contra hostes nos non tantum exercitus aliquos mercenarios, sed ne unum quidem militem mercenarium paratum habemus. Proinde, ut quispiam re sua domi interim negligenter abiecta, alterius defendendae curam suscipiat, non videtur rationi esse consonum. Siquidem haec omnia, quantum ad Reipublicae huius Regni ordinem bonum stabiliendum conduceret, primum constituerentur, licet ipse non maiorem operam, quam unus quisquam privatus iis rebus impendere possem, tamen pro mea parte, quantum quidem pro virium facultate fieri possit, ut omnia cum summo horum dominiorum commodo agantur publicaeque omnium saluti consulatur, omnem in eo ponerem curam, laborem et studium.

Hoc Illustrissimam Celsitudinem Vestram, cum sit Princeps de corpore Regni huius et Dominus meus clementissimus, quid hoc negocium potissimum impediat, caelare nolui, id quicquid est omne, praealto iudicio

et summae Illustrissimae Celsitudinis Vestrae prudentiae subiiciens. Si hoc a regnicolis postularetur et ipsi iustas excusationes afferant, siquidem illis id, quod rebus suis provident, vicio quis vertere velit, non satis racionabilis causa. Nam qui velit alicui opem ferre, certe oculatum et maxime cautum esse convenit, ne, dum alteri suppecias ferre velle videtur, ipse se perditum eat... Datum in Wiewiorca, XXI Maii mensis, anno Domini MDLX.

Eiusdem Illustrissimae Celsitudinis Vestrae
[a] servitor addictissimus
Ioannes Comes in Tarnow
manu propria subscripsit.[b]

a)-b) *manu propria.*
1) *Vylok.*

*N. 1752.*

*Brudzewo, 30.V.1560.*

*Elisabetha de Sieprc Brudzewska, palatina Lanciciensis,*
*Alberto in Prussia duci*
*petit, ut causa sua et sororis suae, Ursulae Lwowska, contra nobilem Albertum Finck (vel Fincka) de bonis hereditariis Mielno habita, vel per iudicium vel per decretum ducis iam tandem terminetur.*

*Sigill.*

*H B A, B 2, K.391.*

*N. 1753.*

*Lublini, 3.VI.1560.*

*Stanislaus Ostroróg, castellanus Międzyrzecensis,*
*Alberto in Prussia duci*
*de dissensionibus inter Polonos et Lithuanos ad litteras ducis respondet.*

*Sigill.*

*H B A, B 2, K.391.*

Illustrissime Princeps *etc.*

Redditae mihi sunt literae abs Illustrissima Vestra Celsitudine, quibus me certiorem facit de distractione animorum inter inclytum Poloniae Regnum et Magnum Lituaniae Ducatum, et simul abs me petit, ut operam dem et annitar, ut inter utramque gentem pax, benevolencia concordiaque ineatur constituaturque. Ad quas literas Illustrissimae Vestrae Celsitudini respondeo.

Fuisse et esse procerum et equestris ordinis Poloni nominis animos a Lituanis sane alienos et aversos propterea, quod in consultatione defensionis et expeditionis pro Livoniensibus contra Moschum suscipiendae, quasi in ordinem coacti, plane fuerimus neglecti, praeteriti et contempti. Quae quidem ignominia et contumelia a Lituanis, propter nescio quorum ingenia et ambitiones, Reipublicae cum salutem, tum veterem et auctum morem parum prudenter considerantes, accepta et me (tametsi nihil

mihi sumo, neque hac in re de me magnifice sentire volo) et omnes alios plurimum, uti par est, movet. Nam quantum Poloni Lituanis semper tribuerint, quam sancte et religiose illorum bonum nomen, honorem, existimationem et dignitatem custodiverint, tum illi ipsi Lituani, tum Illustrissima Vestra Celsitudo optimus testis est. Itaque nemini mirum videri deberet, si Poloni vicissim Lituanos, a quibus tam superbe praeteriti sunt, contemnerent. Nihilominus quod ad me attinet, meum dolorem patriae condonans, et habita ratione salutis Reipublicae et aliarum causarum, quas Illustrissima Vestra Celsitudo gravissime et prudentissime cogitatas ad me perscripsit, pro virili conabor et elaborabo, ut hoc incendium, quod quidem mediocriter iam vires sumpserat, restinguatur omnesque simultates et animorum dissensiones sopiantur. Ac ut nostris Polonis meliorem mentem dari opto, ut, positis simultatibus, paci et concordiae studeant, ita vicissim Deum precor, ut Lituani posthac se aliter gerant atque eiusmodi animum induant, cuiusmodi gentem, quae in uno eodemque corpore coaluit, decet.

Caeterum quanto studio pacis et concordiae in Regno nostro constituendae, salutis quietisque retinendae Illustrissima Vestra Celsitudo afficiatur, cum alias saepe intellectum sit, tum hoc Illustrissimae Celsitudinis Vestrae sapientissimum et pientissimum consilium, quo saucios Polonorum animos lenire et placare nititur, ita illustre dedit documentum, ut nihil possit fieri illustrius. Itaque hoc factum apud omnes homines Illustrissimae Vestrae Celsitudinis laudem pietatis et prudentiae peperit. Haec ad postulata Illustrissimae Vestrae Celsitudinis rescribenda duxi. Quod superest, a Deo precor, ut Illustrissimam Vestram Celsitudinem pro suis meritis diu salvum et incolumem conservet et tueatur ac omni genere florentissimarum accessionum provehat. Ego ei bene precari et Deo pro ea suplicare non intermittam. Interim hoc unicum oro, ut Illustrissima Vestra Celsitudo, cuius memoriam (Deum hominesque testor) unice colo, veneror et suspicio, me sua benevolencia prosequi pergat. Datum Lublinio, III Iunii, anno 1560.

[a] Vestrae Illustrissimae Celsitudinis
fidissimus servitor
Stanislaus ab Ostrorog manu propria subscripsit.[b]

a)-b) *manu propria.*

*N. 1754.*

*Lublini, 3.VI.1560.*

*Stanislaus Tęczyński, palatinus Cracoviensis,*
*Alberto in Prussia duci*
*sicut Lithuania sine auxilio Regni, ita Regnum sine auxilio Lithuaniae tot tantisque hostibus resistere non posse asserit.*

*Sigill.*

*H B A, B 2, K.391.*

Illustrissime Princeps *etc.*

Literas, quas nuper ab Illustrissima Celsitudine Vestra accepi, quanto studio et diligentia animique impressa intentione legerim, tanto magis admiratus sum, Illustrissimam Celsitudinem Vestram fama eam animi

inductionem de inclito Regno Poloniae eiusque cum senatorii, tum equestris ordinis statibus, esse distractionem quandam animorum inclito Regno erga Magnum Ducatum Lituaniae in ferendo patrocinio Livonibus, habere. Semper hoc inclitum Regnum alto consilio perpensum habet, si Ducatus Lituaniae hostili incursioni exponitur, in hoc Regnum periculum redundat. Tunc enim tua res agitur, paries quum proximus ardet. Ruere Ducatus non potest, quin nos (quod omen Deus obruat) eodem quoque labefactati motu simul corruamus, dissidiique comitem intestini mali perpendimus.

Ut igitur Ducatus Regni praesidio, ita Regnum Ducatus adiumento indiget. Virtus enim unita fortior est se ipsa divisa. Exemplo est Ungaria, quam nunc fumantem videmus. Nihil nobis praeter Carpatum montem et Hippanim est tutum. Undique cincti sumus periculo. Opus est, ut coniunctis animis hostili impetu repugnemus. Idque, quod de se existimo, de caeterorum quoque Senatorum Regni animis iudico. Sed quoniam in Sacrae Maiestatis Regiae, ut capite nobisque membris illius adherentibus, autoritate salus Reipublicae pendet, ut primum itaque Conventum Sacra Maiestas Regia Generalem indicere dignabitur, summo animi ardore et propensione ac conatu intimo una cum equestri ordine contendemus, ut, reiectis quibusvis intestinis, si quae fuerint, dissidiis, primo quoque tempore Reipublicae istius et illius provinciae Livoniae, quam in tutelam Sacra Maiestas Regia suam recepit, ac Ducatus Lituaniae ratio defensionis ineatur. Idque, si quod fuerit malum, in melius convertendum.

Meam propensionem in medendis vulneribus Reipublicae non dubito Illustrissimae Celsitudini Vestrae,[z] quandoquidem illius sum alumnus, perspectam et cognitam habere, tantoque diligentius enitar tam flagrantem Reipublicae flammam restinguendam, quanto illius tam pio desiderio respondentem animum exhibeam. Magnasque eo nomine Illustrissimae Celsitudini Vestrae ago[a] et habeo, vel potius ipsa Respublica habet et agit gratias, ipseque Deus coelo ab alto eam animi propensionem erga Rempublicam Illustrissimae Celsitudini Vestrae repensurus, quod tam suo pio et alto consilio imminenti tempestati ferientem Rempublicam prospectum iri contendit. Atque utinam plures nunc tales ferret Lachia viros, nobilior nostra natio nulla foret... Lublini, 3 Iunii, 1560.

[b] Vestre Illustrissime Celsitudinis
perpetuus servitor
Stanislaus Comes in Thancin subscripsit.[c]

a) *in ms.* aga
b)-c) *manu propria.*
z) *sic in ms.*

*N. 1755.*

*Sieprc, 8.VI.1560.*

*Ursula de Sieprc Lwowska, castellana Covaliensis,*
*Alberto in Prussia duci*
*iterum intercessionem ducis expetit in terminanda causa sua et sororis suae, Elisabethae Brudzewska, de bonis hereditariis Mielno contra Albertum Finck (vel Fincka), iudicem Olstinensem, iam a multis annis habita.*

*Sigill.*

*H B A, B 2, K.391.*

N. 1756.

Vilnae, 24.VI.1560.

*Philippus Padniewski, episcopus Premisliensis, R.P. vicecancellarius, Alberto in Prussia duci*
*mittit litteras regis ad ea respondentes, quae sibi a duce per Rainoldum Krokaw commissa erant; significat negotium regundorum finium inter Ducatus Lithuaniae et Prussiae ob absentiam consiliariorum Lithuanorum nunc confici non posse.*

*Sigill.*

*H B A, B 2, K.391.*

Illustrissime Princeps *etc.*

Intellexi ex Generoso Domino Rainoldo Krokaw, Capitaneo Illustrissimae Celsitudinis Vestrae Hollandiensi, ea, quae ipsi Illustrissima Celsitudo Vestra ad me referenda iniunxerat. In quibus quidem apud Regiam Maiestatem agendis omne meum studium extitit. Itaque mitto Illustrissimae Celsitudini Vestrae literas Sacrae Regiae Maiestatis omnibus de rebus ita, ut Illustrissimam Celsitudinem Vestram velle intellexi, conscriptas.*) Quod idem studium meum Illustrissimae Celsitudini Vestrae, pro mea in illam observantia, caeteris omnibus in obsequiis, in quibus sibi opera mea utendum statuerit, promptum paratumque semper est futurum.

De negotio locorum illorum, de quibus controversia finium inter Magnum hunc Ducatum atque Illustrissimae Celsitudinis Vestrae ditionem est, in praesentia, propter eiusdem Ducatus Consiliariorum absentiam, confici nihil potuit. Qui quidem alii aliis negociis ac maxima pars praesenti Livoniae necessitate impediti, ab aula Sacrae Maiestatis Regiae absunt. Cum primum tamen illi convenerint, pollicita Sacra eius Maiestas est finem se negotio huic impondituram esse. Qua in re apud Maiestatem eius curanda meum item studium ac diligentia extabit.

Donum, quod Illustrissima Celsitudo Vestra mihi misit, quod apud me argumentum Illustrissimae Celsitudinis Vestrae erga me gratiae fuerit, gratissimum mihi extitit. Itaque daturus operam sum, ut in ea gratia Illustrissimae Celsitudinis Vestrae promerenda omnis mea observantia omneque meum offitium in illam constet... Datum Vilnae, XXIIII die mensis Iunii, anno Domini MDLX.

a) Illustrissime Dominationis Vestre
obsequentissimus servitor
Philippus Padniewski, Episcopus
et Vicecancellarius subscripsit.b)

a)-b) *manu propria (aureo atramento).*
*) *desunt.*

N. 1757.

Lublini, s.d. 1560.

*Stanislaus Ostroróg, castellanus Międzyrzecensis, Alberto in Prussia duci*
*petit, ut dux servitori suo, Paulo Dzierżanowski, ignoscat, quod propter aegritulinem reditum suum in Prussiam distulerit; se etiam Lublini in gravissimum morbum incidisse, sed iam melius habere nuntiat.*

*Sigill.*

*H B A, B 2, K.391.*

*N. 1758.*

*Goluchoviae, 6.VII.1560.*

*Raphael Leszczyński, capitaneus Radziejoviensis,*
*Alberto in Prussia duci*
*de modis, loco et tempore pecuniae duci a se mutuo dandae edoceri cupit.*

*Sigill.*

*H B A, B 2, K.391.*

Illustrissime Princeps *etc.*

Ut aeternus Pater Domini nostri Iesu Christi conservet salvam Celsitudinem Vestram in annos quam plurimos, ad Ecclesiae suae et rei literariae salutem, toto pectore oro.

Literas Celsitudinis Vestrae quinta die Iulii eadem hora, qua tabellarius venit et ego ex thermis redii, ea qua decuit reverentia accepi. In his quod de gratia atque benevolentia sua abunde et prolixe mihi scribit Celsitudo Vestra, omnium est mihi iucundissimum. Doleo autem, Illustrissime Princeps et Clementissime Domine, temporis angustia factum esse, quominus possem plene cum Celsitudine Vestra colloqui de eo, an simul et semel, an vero distinctis temporibus sit mihi ea pecunia numeranda, de qua tum inter nos sermo erat. Si igitur quippiam ea in re parum gratum accidit Celsitudini Vestrae, illud non negligentiae meae aut remissiori studio, sed tempori imputet, etiam atque etiam peto. Octo millia talerorum ad manum habeo et sum paratus promptissimo animo ea mutuo dare Celsitudini Vestrae, quandocunque volet Vestra Celsitudo. Caeterum, quia nihil scribitur de loco, ubi sit tradenda, existimo acquiescere in eo Celsitudinem Vestram, quod scribendo significaveram, ut Goluchoviae accipiatur. Huc igitur, Clementissime Domine, expectabo currum Celsitudinis Vestrae et, quod recepi me facturum, Tornam usque deducam, ut in Prussiam integre et tuto ea pecunia perferatur.

Et cum quaedam habeam, quae scrire velim Celsitudinem Vestram, talia tamen, ut chartae ea committere non sit mihi integrum, rogo, ut Celsitudo Vestra aut Dominum Scrinicium,[1] aut Dominum Nosticium,[2] quibuscum mihi etiam intercedit amicicia, pro hac pecunia mittat, ut simul fido pectori committam, quae ad Celsitudinem Vestram perferri velim. Velim autem, Illustrissime Princeps, quanto citius fieri possit, de voluntate Celsitudinis Vestrae fieri certior. Nam vereor, ne quid tale eveniat, cuius caussa domo me abesse oporteat. Interea expectabo administros Celsitudinis Vestrae, neque remotius a domo iter suscipiam, quam quod trium aut quatuor dierum spacio confici possit, ne quid per me negligatur. Cautio Celsitudinis Vestrae mihi bene placet, neque ego quippiam de pietate et sapientia Celsitudinis Vestrae dubitabo unquam, cum quidem haec cautio sufficiens videatur Celsitudini Vestrae pro utriusque partis successoribus. Et studium, quo affectus sum erga Celsitudinem Vestram, et professio mea christiana non patitur, ut in cautione permaneat, quod nomine usurae mihi Celsitudo Vestra pollicetur. Proinde velim eam partem tolli. Id, quod sibi deditissimo homini Celsitudo Vestra aliquando dederit, gratiae et singulari benevolentiae tribuam. Atque hoc ipso ad omnia sua officia obligatum me reddet Celsitudo Vestra. Cui me interea commendo totumque trado. Ut alia octo millia talerorum

post sex menses parem, curae mihi erit. Datae Goluchoviae, anno Domini 1560, Iulii die VI.

Illustrissimae Celsitudinis Vestrae deditissimus
[a] Raphael Leschczynsky, Radzeowyensis Capitaneus
manu propria.[b]

a)-b) *manu propria.*
1) *Stanislaus Skrzynecki.*
2) *Casparus Nostitz.*

## *N. 1759.*

*Poltoviae, 9.VII.1560.*

*Andreas Noskowski, episcopus Plocensis,*
*Alberto in Prussia duci*
*se factum palatini Plocensis non probare scribit, qui loca controversa inter Ducatus Prussiae et Masoviae primum arare, deinde natas in eas segetes metere ausus est.*
*Sigill.*
*H B A, B 2, K.391.*

Illustrissime Princeps *etc.*

Non possum factum hoc Domini Palatini Plocensis [1] omnino probare, qui neglecto recessu Commissariorum, ratione finium controversorum superioribus annis inter Ducatus utrinque facto, loca illa, quae in controversiam veniunt, primum arare et sementem in iis facere, deinde etiam segetes, quae in iis natae sunt, metere ausus esset. Video enim hoc nomine et pactiones recessus ab ipso violari et infringi, et excelsae dignitatis Illustrissimae Celsitudinis Vestrae ab ipso, quod mihi non mediocrem adfert molestiam, parum aequam rationem habitam esse. Qua in re quod Illustrissima Celsitudo Vestra tam benignum et humanum animum declaraverit, quodque prudentia potius quam ulla vi negotium hoc vindicare statuerit, cum summa certe admiratione tam illustrem ipsius modestiam et praedicare et laudare me perpetuo oportebit. Neque enim videtur in tanto Principe quidquam praestantius, neque illustri persona et conditione ipsius dignius, quam ea, quae aliqua prudenti ratione quiete vindicari et defendi possunt, nunquam turbis et tumultuariis propulsionibus committere pacemque et ocium publicum magis quam iniuriarum vindictam sequi. Nam quod eam rem ad Sacram Maiestatem Regiam, Dominum nostrum clementissimum, retulerit, in eo certe et dignitati Suae Maiestatis et Illustrissimae Celsitudinis Vestrae rationibus optime et prudentissime video consultum esse. Ita enim sperandum est, ut, si quidpiam Illustrissima Celsitudo Vestra temeritate alicuius iacturae fecerit, cum summa ipsius dignitate decreto Sacrae Maiestatis Regiae abunde resartiatur.

Quod autem me, servitorem suum, eius suae molestiae dignata est scribendo facere participem, in eo agnosco Illustrissimae Celsitudinis Vestrae praecipuam erga me clementiam, perpetuasque ipsi eo nomine habeo et ago gratias. Quin etiam si paulo maturius ea de re significatum mihi fuisset, non dubitarem omnino, quin animus Domini Palatini, opera et solicita flagitatione mea, in aliud deflexus esset iter. Nunc autem,

quamvis non satis tempestive videam me ea in re laborem et solicitudinem suscepturum, interponam tamen omnem operam, studium et solicitudinem, quo ipse Dominus Palatinus vel ex transacto iam pene istius instituti sui cursu retrahatur. Dedi [a] ad ipsum eadem fere hora, qua Illustrissimae Celsitudinis Vestrae mihi redditae sunt, literas, quibus cum ipso diligentissime ea de re egi, rationibusque ostenssis,[z] cum summa contentione eundem cohortatus sum, ut clementiam potius quam indignationem Illustrissimae Celsitudinis Vestrae sibi comparare studeret. Utque eas segetes, quae in locis controversis natae vel excisae sunt, ad negotii decisionem salvas et integras, sine ulla direptione, adservari curet. Neque dubito, quin suasibus et monitis meis inductus, aut integras ad illud tempus servaturus, aut certe omnia ista sequestro, ita ut Illustrissima Celsitudo Vestra velle videtur, subiecturus sit. Quomodo autem iisce meis consiliis paruerit, vel quid ea in re mihi responderit, primo quoque tempore Illustrissimae Celsitudini Vestrae significare non negligam... Datum Poltoviae, IX Iulii, anno Domini MDLX.

Illustrissimae Celsitudinis Vestrae
[b] obsequentissimus servitor
Andreas Episcopus Plocensis
manu propria subscripsit.[c]

a) *sequitur expunctum*: enim
b)-c) *manu propria.*
z) *sic in ms.*
1) *Alexander Iłowski.*

*N. 1760.*

*Taurogi, 14.VII.1560.*

*Ioannes Ulanus, praefectus Taurogensis,*
*Alberto in Prussia duci*
*nomine domini sui Melchioris Szemiot (in ms. Schemeth), proprietarii bonorum et oppiduli Taurogi, testatur Gregorium Kiskel Regiomonti, ubi munere coctoris cerevisiae fungebatur, recens vita functum, germanum esse Ianussii Polepszajtis (in ms. Janusch Polepschaitis), et rogat, ut dictus Polepszajtis, prout unicus heres demortui, supellectili eius relicta uti possit.*

*Sigill.*

*H B A, B 2, K.391.*

*N. 1761.*

*Vilnae, 25.VII.1560.*

*Petrus Myszkowski, praepositus Gnesnensis et Lanciciensis, R.P. vicecancellarius,*
*Alberto in Prussia duci*
*de exitu negotii Thomae Kos (in ms. Kosen), ducis subditi sibi commendati, ducem ex nuntio suo, Ioanne Schuel, intellecturum esse nuntiat.*

*Vest. sigilli.*

*H B A, B 2, K.391.*

*N. 1762.*

*Vilnae, 25.VII.1560.*

*Paulus Stempowski, secretarius maior,*
*Alberto in Prussia duci*
*pro annuo stipendio fratri suo, quem in Academiam Regiomontanam ad discendas bonas disciplinas mittere constituit, assignato, gratias agit.*

*Vest. sigilli.*

*H B A, B 2, K.391.*

*N. 1763.*

*Poltoviae, 26.VII.1560.*

*Andreas Noskowski, episcopus Plocensis,*
*consiliariis et commissariis ducis Alberti*
*de die negotio regundorum finium designando.*

*Sigill.*

*H B A, B 2, K.391.*

Spectabiles et Magnifici Domini *etc.*

Actepi Magnificentiarum Vestrarum literas, quibus propensum erga Illustrissimum Principem suum officium meum, proxime declaratum, et laudare et singulares mihi hoc nomine gratias agere dignatae sunt. In quo tametsi gratissima mihi sit Magnificentiarum Vestrarum officiosa voluntas et propensum erga me studium, non possum tamen dissimulare me, pro cultu et veneratione veteri mea, longe maiora studia et solicitudines Suae Celsitudini merito debere, quibus ut aliquando aliqua ex parte respondeam, cupio ex animo.

Quod autem ad designandum regundorum finium diem attinet, in eo existimabunt Magnificentiae Vestrae summam mihi non deesse voluntatem, modo eorum officium non desit, cum quibus mihi hoc genus muneris a Sacra Maiestate Regia delegatum est. Qua de re iam dudum cum ipsis de certo tempore constituissem, nissi [z] Magnificus Dominus Palatinus Ravensis,[1] externis negotiis hinc evocatus, longe a nobis sub hoc tempore versaretur. Postea vero, cum data fuerit mihi cum eo communicandi eius instituti copia, tum non negligam et ea de re cum ipso diligenter et solicite agere et de tempore, quo in locum controversum descendendum nobis sit, certo statuere. Qua de re cum primum inter nos convenerit, Celsitudinem Suam primo quoque tempore faciam certiorem... Datum Poltoviae, XXVI Iulii, anno Domini MDLX.

Magnificentiarum Vestrarum amicus officiosus
Andreas Dei gratia Episcopus Plocensis
[a] manu propria subscripsit.[b]

a)-b) *manu propria.*
z) *sic in ms.*
1) *Andreas de Golczewo (Golczewski).*

*N. 1764.*

*Goluchoviae, 24.VIII.1560.*

*Raphael Leszczyński, capitaneus Radziejoviensis,*
*Alberto in Prussia duci*
*octo millia talerorum duci mutuo mittit, alteram partem pecuniae pro assignato tempore mittere paratus; in numero servitorum ducis reputari desiderat.*

*Sigill.*

*H B A, B 2, K.391.*

Salutem et pacem.
Illustrissime Princeps *etc.*

Toto pectore ago gratias aeterno Deo et Patri Domini nostri Iesu Christi, qui cum Filio et Spiritu Sancto res omnes condidit et conservat, quod Celsitudinem Vestram bene salvum esse cognovi partim ex sermonibus Generosi Domini Friderici ab Aulakenn, Consiliarii prudentissimi atque integerrimi, partim ex literis Celsitudinis Vestrae, quae pietate et benevolentia erga me sunt plenissimae.

Ago etiam ingentes gratias Celsitudini Vestrae, quod eam clementiam erga me declarat, tenuissima et levissima officiola mea tam grato animo accipiendo. Atque oro Deum Optimum Maximum, una cum familia mea tota et Ecclesia universa, ut Celsitudinem Vestram diu incolumem conservet propter nominis sui gloriam, quam tanto studio tantoque conatu Celsitudo Vestra propugnare et propagare consuevit adversus omnes Filii Dei hostes, tum etiam propter Ecclesiae suae totiusque Reipublicae Christianae pacem.

Mitto ad Celsitudinem Vestram perlubens octo millia talerorum, paratus alteram partem mittere pro assignato tempore, quum Celsitudo Vestra voluerit. De modo paciscendi cogitationem relinquo sapientiae et pietati Celsitudinis Vestrae. Quod ad me attinet, cum propter ingratitudinem erga verbum Dei huic amplissimo Regno Polonico videam impendere graves poenas, et cum prospiciam futuros graviores motus in Republica, cuperem nidulum aliquem habere pro carissima coniuge et familiola mea in ditione Celsitudinis Vestrae, ut etiam eo expeditior esse possim ad offitia Celsitudini Vestrae debita. Atque utinam et res et occasiones sese mihi offerant, quibus possem animi mei affectiones erga Celsitudinem Vestram comprobare.

Illustrissime Princeps, cautionem a Celsitudine Vestra habere volui non mea, qui me totum et omnia mea pietati et clementiae Celsitudinis Vestrae crediderim, sed posteritatis caussa. In ea quod tantum beneficium mihi offert Celsitudo Vestra, dici nequit, quantum me sibi devinciat, hominem alias nihil tale promeritum. Et nisi vererer, ne offenderem gratiam Celsitudinis Vestrae, Clementissime Domine, vix facerem, ut tam liberale beneficium acciperem a Celsitudine Vestra, cum quidem nihil eorum agnoscam in me, quibus hoc ipsum digne compensari possit Celsitudini Vestrae. Cum igitur aliud nihil possim, rogo Celsitudinem Vestram, velit me iam ex eo tempore accensere numero suorum, in quos authoritatem habet quidvis mandandi.

Ego sane sive his in locis, sive alibi quippiam efficere iussus fuero a Celsitudine Vestra, summo studio, conatu, cura atque fide perficiam. Si ita etiam dignitas Celsitudinis Vestrae et Reipublicae salus postula-

verit, aliquot centorum equitum[a] exercitum ducam, quaecunque in loca Celsitudo Vestra iusserit... Datae Goluchoviae, in die Sancti Bartholomaei, anno Domini 1560.

Illustrissimae Celsitudinis Vestrae deditissimus
[b] servitor
Raphael Leschczynsky, Radzeowyensys Capitaneus
manu propria subscripsit.[c]

a) *super lineam.*
b)-c) *manu propria.*

*N. 1765.*

*Posnaniae, 8.IX.1560.*

*Lucas a Górka, palatinus Lanciciensis, capitaneus Buscensis, Alberto in Prussia duci filium defuncti Eustathii Trepka, ducis servitoris, commendat.*

*Sigill.*

*H B A, B 2, K.391.*

*N. 1766.*

*Posnaniae, 22.IX.1560.*

*Lucas a Górka, palatinus Lanciciensis, capitaneus Buscensis, Alberto in Prussia duci pro Iacobo Cieplicki, nobili Bohemo, cuius servitor damnis illi gravissimis illatis, aufugit et probabiliter in Ducatu Prussiae latitat, ut a praefectis locorum requiratur et inventus extradatur.*

*Sigill.*

*H B A, B 2, K.391.*

*N. 1767.*

*Vilnae, 26.IX.1560.*

*Petrus Myszkowski, R.P. vicecancellarius, Alberto in Prussia duci dolet se duci in negotio Thomae Kos gratificari non potuisse.*

*Sigill. Autogr.*

*H B A, B 2, K.391.*

*N. 1768.*

*Łomża, 2.X.1560*

*Hieronymus Modliszewski, capitaneus Lomzensis, capitaneo Lecensi [Georgio a Krösten] iuxta postulatum ducis Alberti, informat eum de pretiis piscium. (Polonice)*

*Sigill.*

*H B A, B 2, K.391.*

*N. 1769.*

*Cnissini, 3.X.1560.*

*Petrus Chwalczewski, succamerarius Calissiensis, capitaneus Cnissinensis, Georgio a Krösten (Krest), capitaneo Lecensi,*
*de Georgio (Jurek) fure, ex Augusta (Augustów) profugo, ubi facinora eius omnibus nota erant, qui etiam uxorem suam in lacu suffocare voluit, nisi a piscatoribus salva facta fuerit.*
*(Polonice)*
*Sigill.*
*H B A, B 2, K.391.*

*N. 1770.*

*Balice, 8.X.1560.*

*Ioannes Boner, castellanus Biecensis,*
*Alberto in Prussia duci*
*de suo in thermis prope Hirschberg (Jelenia Góra) cum Achatio Czema conventu refert; ex quo, de magnifico ducis ovili edoctus, rogat auxilium in proprio ovili instituendo; nuntiat de Turcarum, post duorum annorum tranquillitatem, novis incursionibus, quas etiam in Dalmatia, Styria et Carinthia parant; de optima vindemia in Hungaria futura.*
*(Schedula de rebus Moldaviae)*
*Sigill.*
*H B A, B 2, K.391.*

Durchlauchtigster furst *etc.*

Diese vorgangene zeit bihn ich mit dem hern Achatzio Czema, woyewode zu Margenburgk, auf Stum und Mewen hauptman, jhn der Schlesige bey Hirschbergk in einem warmbade [1] ungefher zusamenkhomen. Zwischen andern mancherley rede ist auch zugefalen, das er mir angezeigt hat, das E.F.D. eine schone und treffliche wirthschaft mit der schefferey aufgericht, welche E.F.D. nicht aleine selber nue ubeth, sondern vilen andern auch darzu vorholfen. Dieweil ich auch etliche guttlein habe, die da von natur darzu geneigt sein, das sich die schaffe dorauf bessern dan an andern orten, erneren und aufzihen. Bihn sehr sorgfeltig darnoch worden, ob ich mochte zu solcher schefferey khomen, wiewol ich mich unwirdig darzu erkhene, das ich E.F.D. mit solchem meinem schreiben und thuen molestiern soll. Weyl aber der herr Achacius Czema mir solches zugemut hat und darzu ein schreiben an E.F.D. gethan, darzu den namen E.F.D. gegen jederman mildigkeit und genade haben mich darzu gezwungen, das ich E.F.D. durch diesen meinen brief supplicier, wolde seinen dienern und amptleuten bevhelen, das sie darzu thuen und vorhilflich sein, domit zeiger dieses briefs, mein diener, ihn E.F.D. lande solche schaffe bekhomen mochte umb mein geldt ahn mein schaden. Solche E.F.D. gegen mir grosse gnade will ich mich auch befleyssen in aller ehre und demuth vorschulden und vordienen mit meiner armuth, wo ich es mir werde khenen und mogen. Nemlich was mir eine grosse freide wer, das mir E.F.D. solches entbitten und befhelen; damit will ich mich in E.F.D. gunst und gnade bevholen haben.

Von newen zeitungen khan ich E.F.D. nichts anders schreiben, aleine das die Türcken, die sich nue in zweyen jharen gar stile gehalten haben, aufririsch widerumb wellen werden und manche dorfer ausgeplundert und vorbrent haben, darzu uf etliche stette schatzunge aufgelegt; mit welcher wo sie sich nit erlosen, so wollen sie dieselben vor feinde halten, vorterben und verhonen. Dessgleichen saget man fur gewiss, das hoch oben auf in Dalmacia gegen Kernten und Steyer ihn 25000 Türcken starck ligen, die do nach ihrem vortel sehen und laurn, den die lender sich auch eben in achtung halten.

Ihm lande zu Ungern gefelt dis jhar ein unseglich gewechs vom weyn. Wer das jhar so stathaftig und warm gewest, als fruchtbar es ist, es wer trefflich vill gutter weyn worden, wiewol man noch also vorhofft, es werden nicht die geringsten werden, wo die Türcken oder die ungrischen hern selbst die arme leute ihm lesen nicht vorhindern werden. Datum zu Balitz den 8 tag Octobris anno 1560.

Ewr Furstlicher Durchleychtikeyt undertoner diner
[a] Joannes Bonar de Balitze Castellanus Bieczensis
manu propria [b]

*Schedula. De rebus Moldaviae.*

Will auch E.F.D. nicht bergen, das einer, der sich dan Dispoten [2] neneth und auch voleicht furbey E.F.D. sich ein weyl aufgehalten, eine heimliche practike mit dem hern Albrecht Lassky, der auf dem Kesemarck sitzt, und vilen andern personen aufgericht und angeschlagen haben, das sie den walachischen woyewoden [3] wolten ausem lande vortreyben und ihn zu einen herrn des landes setzen, und sein alss die tage von manchen orten aufgebrochen und zihen dohin mit reysigen und fussknechten auch geschutz aufs beste, als sie es haben khonen aufbrengen. Der sachen nimbt jederman wunder, und es wirdt schwerlich ein gutt ende nehmen. Gott der Alemechtige behute die, die dadurch ihre einfeltikeyt sein in den handel khomen, das sies nit schentlich mit ihrem leib und leben zalen mussen etc.

a)-b) *manu propria.*
1) *Warmbrunn.*
2) *Iacobus Heraclides Basilicus.*
3) *Alexander Lapušneanu, palatinus Moldaviae.*

*N. 1771.*

*Lublini, 8.X.1560.*

*Stanislaus Tęczyński, palatinus Cracoviensis,*
*Alberto in Prussia duci*
*ducem rogat, ut ad regem scribat eumque adhortetur, quo in negotio [Livonico] Comitia indicat.*
*Sigill.*
*H B A, B 2, K.391.*

Illustrissime et Excellentissime Princeps *etc.*

Literas Illustrissimae et Excellentissimae Celsitudinis Vestrae accepi, quae eo, quod ex iis Illustrissimam Celsitudinem Vestram bene valere intellexi, gratissimae mihi fuerunt. Et quod ad negotia, de quibus Illu-

strissima Celsitudo Vestra ad me scribit, non possum satis laudare benevolum et gratum Illustrissimae Celsitudinis Vestrae erga nos omnes ac Serenissimum Regem, Dominum nostrum clementissimum, animum. Sed in hoc credat Illustrissima Celsitudo Vestra se currenti equo calcaria addere. Ego certe, consideratis et bene perpensis periculis omnibus, quae ab Illustrissima et Excellentissima Celsitudine Vestra proponuntur, facile in eam sentenciam descendo, ut Serenissimo Regi auxilia ferantur. Sed an hoc fiat, impediunt haec omnia. Primum Lituanorum in nos ingratitudo et superbia, qui cum hoc sciant sibi valde necessarium esse, id tamen petere nolunt. Deinde, quod ipse Serenissimus Rex nihil ad nos scribit. Tandem, quia id non unus vel duo aut tres facere possunt, sed ad hoc omnium Regni Ordinum consensus requiritur, nec hoc sine Comitiis aliquibus, in quibus omnes Ordines conveniant, fieri potest.

Ideo bene esset, si Illustrissima Celsitudo Vestra Regiam Maiestatem adhortaretur, ut Comitia aliqua indiceret in hoc negotio, ubicunque ei visum fuerit. Tunc ego quibuscumque modis et rationibus curarem, ut ommissis caeteris illis negotiis Regni, sicut de executione, religione, iuditiis et aliis, hoc ipsum absolveretur, et si absque incommodo Illustrissimae Celsitudinis Vestrae fieri posset, optimum esset, quod ad Sacram Regiam Maiestatem se conferat, ut cum ea de rebus omnibus consuleret. Non dubito, quin et gratum et Illustrissimae Celsitudini Vestrae utile Sacrae Maiestati Regiae foret...[z] Datum Lublini, VIII die mensis Octobris, anno 1560.

[a] Vestrae Illustrissimae Celsitudinis
servitor perpetuus
Stanislaus Comes in Thancin subscripsit.[b]

a)-b) *manu propria.*
z) *sic in ms.*

*N. 1772.*

*Posnaniae, 15.X.1560.*

*Lucas a Górka, palatinus Lanciciensis, capitaneus Buscensis, Alberto in Prussia duci de miserando statu Livoniae et de periculis ex eo ad alias vicinas ditiones redundaturis.*

*Sigill.*

*H B A, B 2, K.391.*

Illustrissime Princeps *etc.*

Redditae mihi sunt litere Illustrissime Vestre Celsitudinis, ex quibus miserandum Livoniae statum atque ex ea ad alios quoque vicinos redundancia pericula summo cum dolore intellexi. Quis enim animo secum perpendens provinciam vicinam Livoniam a crudeli tyranno, et quidem nostro perpetuo hoste, adeo misere igne ferroque vastari locaque forciora occupari, commiseracione non tangatur statuatque certo fore, ut ista mala in capita nostra aliquando, nisi eis tempestive occurratur (quod tamen omen Dii avertant), redundatura esse? Ego sane pro mea persona, si unquam a Sacra Regia Maiestate, Domino meo clementissimo, eo in negocio requisitus sentenciamque rogatus fuero, libere et que ad salutem Livoniae communemque omnium nostrum pertinere intellexero,

pro debito ac fide mea sum dicturus. Quod Illustrissime Vestre Celsitudini rescribendum duxi... Datum Posnaniae, 15 Octobris, anno Domini MDLX.

[a] Vestre Illustrissime Celsitudinis servitor
Lucas Comes a Gorka, Palatinus Lecziciensis,
Capitaneus Buscensis, manu propria subscripsit.[b]

a)-b) *manu propria.*

*N. 1773.*

*Tarnoviae, 19.X.1560.*

*Ioannes Tarnowski, castellanus Cracoviensis, exercituum R.P. capitaneus, Alberto in Prussia duci*
*difficillimum esse putat, ut Regnum, tot et tantis periculis expositum, afflictae Livoniae efficaces suppetias ferre possit.*

*Sigill.*

*H B A, B 2, K.391.*

Illustrissime Princeps *etc.*

Voluntati ac mandato Illustrissimae Dominationis Vestrae in eo, de quo ad me scripsit, libenter sane morem gererem. Video enim Illustrissimam Dominationem Vestram, pro sua prudentia, recte prospicere ea pericula, quae ex neglecta atque (quod omen Deus Optimus avertat clementer) amissa Livonia ad Lituaniam atque alias Regno coniunctas provincias essent redundatura. Quibus quidem in tempore occurri ad salutem et tranquillitatem Regni ac vicinorum populorum oporteret, verum ea est praesentis temporis ac rerum omnium apud nos ratio, ut, quemadmodum antea quoque ad Illustrissimam Dominationem Vestram scripsi, pro tenuitate iudicii mei videre non possim, quo modo iis tot ac tantis imminentibus malis obviam iri possit. Eciamsi vero eos, qui eiusmodi deliberationibus adhibentur ingenio atque consilio, abundare, nec id aliunde requirere existimem, ipseque tenuitatis ingenii mei mihi probe conscius, aliorum bene consulta admirari potius, quam meum iudicium extrudere soleam. Quia tamen plerumque sit, quorum auxilio niti cogitamus, ab iis ut consilia quoque rerum gerendarum petamus, ad dignitatem Regni et ad utrorumque dominiorum commoditatem pertinebat, ut negocium de tuenda Livonia in medium proponeretur, nobis certe tantum abest, ut aliquid, quod ad eam rem attinet, sit communicatum, ut hactenus de rebus Livonicis, nisi vel ex vulgi sermonibus vel ex literis amicorum, nihil sciamus. Auxilia vero rebus integris multo commodius atque felicius, quam attritis iam atque afflictis, praestari posse Illustrissima Dominatio Vestra, pro summa, quam in re militari obtinet, experientia, iudicare potest. Quae si requirerentur, qua ratione essent ferenda, non satis video, cum rationem eius belli non possim assequi, quod revera non tam iusti belli speciem, quam imaginariae cuiusdam rei habere videtur.

Tractatus, pacta atque promissa vidimus. Audimus, quae hostes inte-

rea gerunt, quam multos tractus vastaverint, quot arces partim vi atque armis, partim dedicione caeperint, idque post inita pacta et foedera, conniventibus iis, qui defendere debuerant. De Lituanicis autem copiis nihil aliud hic apud nos auditur, quam eas in limitibus esse atque eam ipsam provinciam non tam defendere quam damnificare. Quam quidem ad rem cur Polonicae expeterentur copiae, non video, nisi forte ut erroris alieni participes essent, hoc praesertim tempore, cum iam hostis magnam Livoniae partem occupavit, ut qui nunc demum rebus Livonicis opem ferat, non secus facere videatur, quam si quis aedium primo incendio neglecto, tum demum flammas sopire atque extinguere velit, cum iam parietes ambusti ruinam minarentur. Atque ea rerum facies facit, ut antea eciam, quam id ex literis Illustrissimae Dominationis Vestrae cognoscerem, ex ipso saltem negociorum progressu facile coniicerem ea Illustrissimae Dominationis Vestrae consilio minime gubernari, ut mirum non sit regnicolas de eo celari, siquidem Illustrissimae Dominationi Vestrae, quemadmodum ex literis ipsius apparet, nihil tale communicetur.

Iam vero Regni ipsius quae sit ratio, Illustrissima Dominatio Vestra non ignorat, undiquaque gravissimis hostibus cingimur. Domi vero (fatendum enim apud Illustrissimam Dominationem Vestram id, quod res est) universum Regnum iusto ordine caret ac iis rebus maxima ex parte exhaustum est, quae ad expediciones bellicas obeundas atque ad hostilem vim avertendam sunt necessariae, ut non solum aliorum pericula propulsare, eciamsi maxime velimus, non possimus, verum ipsi nos nostraque multo difficilius in hac rerum perturbatione, quam antehac unquam, tueri queamus.

Quae cum ita se habeant, videre sane non possum, quanam ratione nos ita afflictis Livoniorum rebus suppetias ferre queamus. In me certe, tanquam in uno ex multis, quod ad eam rem attinet, parum est situm. Quia tamen persuasum habeo eos, qui rebus iis tractandis adhibentur, consilio atque prudentia abundare, nisi res ipsa aliud demonstraret, existimarem eos aliqua secreta quidem, sed non vana spe Livoniae niti. Quae etsi eos fallere videatur, si quid tamen vel ipsi melius in medium proferent, vel si quid aliis consultius videbitur, non repugnabo, sed (Deus est mihi testis) libenter ipse quoque eorum subscribam sentenciae. Sed si Illustrissimae Dominationis Vestrae consilio, cuius etiam res agitur (quod citra assentacionem dictum velim), destituentur, vel illi parere nolint, vix fieri posse existimo, ut aliter quam hactenus res succedant. Et illud quamvis non contemnendum esse videtur, quod Riga gentes susceperit regias, verum tamen ubi firmioribus auxiliis destituetur Moschusque indies magis ac magis ei vicinas arces oppugnare contenderit, licet bene munita fuerit, diu resistere ac durare non poterit. Deum Optimum Maximum interea supplex oro, ut quae nobis videntur difficilima, ea ipsa reddat facilia ac omnia consilia vertat ad gloriam suam et Regni ac provinciarum ipsi adiunctarum salutem et incolumitatem... Datum Tarnovii, XIX Octobris mensis, anno Domini 1560.

Eiusdem Illustrissimae Dominationis Vestrae
[a] servitor addictissimus
Ioannes Comes in Tarnow manu sua subscripsit.[b]

a)-b) *manu propria.*

N. 1774.

Vilnae, 21.X.1560.

*Petrus Myszkowski, R.P. vicecancellarius,*
*Alberto in Prussia duci*
*nobilem Sebastianum Ciechański, servitorem ducis, in negotio Thomae Kos (vel Koss, vel Cossius) missum, ad ducem redeuntem laudat et commendat.*

*Sigill.*

*H B A, B 2, K.391.*

N. 1775.

Oświęcim, 24.X.1560.

*Ioannes Ocieski, R.P. cancellarius,*
*Alberto in Prussia duci*
*de miserrimo statu rerum Livoniensium.*

*Sigill.*

*H B A, B 2, K.391.*

Illustrissime et Excellentissime Princeps *etc.*

Quantis detrimentis et incommodis affecta et afflicta sit modo Livonia, et quod inde Lithuaniae et universo Regno periculum creetur, etsi antea nonnihil audierim, tamen ex literis Vestrae Celsitudinis Illustrissimae id planius perspexi ac eius Reipublicae formam miserabilem ex animo dolui. Summam autem Vestrae Celsitudinis Illustrissimae in eis omnibus incommodis circumspiciendis prudentiam et studium singulare ac christiano Principe dignum summopere collaudavi, idque eo magis feci, quod non modo nunc, neque ad me unum, sed antea etiam ad nonnullos Regni Senatores de eisdem rebus literas dederit, de quibus antea iam mutuo cum aliquibus conferrebam atque colloquebar. Faxisset autem Deus, ut haec incommoda atque pericula, quibus Livonia gravius modo pertentatur, antea bene essent perspecta et liquidius animadversa, quam Livonicis tractationibus Regia Maiestas irretita atque implicata fuisset, non fortasse ex tot incommodis provincia illa modo laborasset.

Ego, si quid Livonicis rebus opera mea prodesse possem, omni meo studio, cura et diligentia in eam cogitationem incumberem, sed non intelligo, quo pacto haec ipsa vulnera mederi possint, cum de praesidiis Polonicis neque studio neque loco privato agi aut statui quicquam possit, nisi de eo in Comitiis una omnium sententia statuatur. Quae quando sint futura, prorsus ignoratur, cum propter summas Livonicas difficultates, quibus hoc tempore Regia Maiestas implicata atque impedita est, protrahi et in tam longum tempus differri existimentur. Praesens enim Livoniensium status ita Regiae Maiestatis praesentiam videtur requirere, ut in ea omne salutis suae adiumentum positum esse existimet. Ad nos quantum adfertur, a Regia Maiestate nihil curae aut sollicitudinis praetermitti, tam in mittendis Nunciis ad Moschum, quo cum de constituenda et pacificanda Livonia agatur, quam in collocandis certis praesidiis et in constituendo milite, qui in castris continuus sit et ad deffensionem Livoniensium sedulo excubet, hoc denique agi, ut hoc Livonicum malum

prius comprimatur, quam ad pernitiem totius Reipublicae nostrae convalescat. Ego, quamquam hoc tempore a Regia Maiestate longius abessem, nihil tamen omisi, quin de his rebus eius Maiestati scriberem, quas ad pacificandam Livoniam maxime pertinere arbitrabar. Nunc autem de eo ipso per Vestram Illustrissimam Celsitudinem admonitus, multo diligentius et accuratius sum ad Regiam Maiestatem scripturus. Cuperem enim vel maxime, ut haec suscepta Livoniensium defensio tum Regiae Maiestati, Regno et Ducatui Lituaniae, tum universae Reipublicae Christianae bene et foeliciter eveniat... Datum in Oswienczim, 24 die Octobris, 1560 anno.

[a] Vestre Illustrissime Celsitudinis
servitor addictissimus
Ioannes Ocieski.[b]

a)-b) *manu propria.*

*N. 1776.*

*Vilnae, 2.XI.1560.*

*Petrus Myszkowski, R.P. vicecancellarius,*
*Alberto in Prussia duci*
*litteras ducis ad regem, per Kunheim sibi allatas, se regi reddidisse nuntiat; sperat regem non gravatim esse in eo negotio duci gratificaturum.*

*Vest. sigilli.*

*H B A, B 2, K.391.*

*N. 1777.*

*Vilnae, 2.XI.1560.*

*Ioannes Chodkiewicz*
*Alberto in Prussia duci*
*aulicum ducis, Iacobum Modrzewski, remittit eumque a se retentum ob diuturniorem absentiam excusat.*
*(Germanice)*

*Sigill.*

*H B A, B 2, K.391.*

*N. 1778.*

*Vilnae, 3.XI.1560.*

*Hieronymus Chodkiewicz, castellanus Vilnensis, capitaneus Samogitiae,*
*Alberto in Prussia duci*
*filium cuiusdam amicae suae, Regium Montem studiorum causa proficiscentem, commendat.*
*(Germanice)*

*Sigill.*

*H B A, B 2, K.391.*

N. 1779.

Vilnae, 20.XI.1560.

*Nicolaus Radziwiłł, palatinus Vilnensis,*
*Alberto in Prussia duci*
*adolescentem Marcum Hellinn, Gallum, sincerioris religionis et linguae Germanicae studiosum, commendat.*

*Sigill.*

*H B A, B 2, K.391.*

Illustrissime et Excellentissime Princeps *etc.*

Hic adolescens, Nobilis Marcus Hellinn, Gallus, ante sex annos cum Generoso Domino Georgio Kurinieczki,[1] olim Capitanei Pinscensis[2] filio, in has regiones venerat integroque illo sexennio apud eundem Dominum Georgium versatus est, a quo virtutis honestaeque et fidelis conversationis testimonia refert. Usus est enim illo perquam familiariter ad omnia sua obsequia. Cum autem aliqua ex parte pietatis et syncerioris religionis studia degustarit linguamque Germanicam supremis labris attigerit, non prius in patriam redire statuit, quam et in vera pietate et in lingua Germanica maiores progressus faciat. Proinde supplicavit mihi, et cum eo multi Maiestatis Regiae aulici, quibus bene cognitus est, imprimis vero ipse Dominus Georgius Kurynieczky, ut eum Illustrissimae Celsitudini Vestrae de meliori nota commendarem, peregrinum quidem illum et advenam, sed, ut audio, magno studio virtutem et pietatem capessentem. Fecerit autem Illustrissima Celsitudo Vestra non modo mihi, sed imprimis Domino Deo rem gratam et acteptam, si hoc eius studium et voluntatem benigne promoverit, si in aulam suam receperit, ut usu et consuetudine quod intendit discat. De quo iterum atque iterum Illustrissimam Celsitudinem Vestram reverenter et obsequenter compello... Datum Vilnae, 20 Novembris, anno Domini 1560.

Illustrissimae Celsitudinis Vestrae
[a] servitor
Nicolaus Radzyvyl etc. subscripsit.[b]

a)-b) *manu propria.*
1) *Kurzeniecki.*
2) *Ioannes Kurzeniecki.*

N. 1780.

[*Vilnae, 20.XI.1560*]

*Nicolaus Radziwiłł, palatinus Vilnensis,*
*Alberto in Prussia duci*
*de negotio matrimoniali sororis ducis Megapolensis.*

*Vest. sigilli.*

*H B A, B 2, K.391.*

Illustrissime Princeps *etc.*

In expetito hoc congressu meo cum Illustrissima Celsitudine Vestra hoc etiam, inter caetera, cum illa et cum Illustrissimo Domino Duce Megapolensi, genero Illustrissimae Celsitudinis Vestrae,[1] quandoquidem nunc cum illa praesens sit, tractandum habui, nempe me petitum esse,

ut, si sit animus Illustrissimarum Celsitudinum Vestrarum sororem Illustrissimi Domini Ducis Megapolensis, quam etiam istic nunc Regiomonti adesse audio, in hanc nostram septemtrionalem regionem in sanctum matrimonium elocare, ac lubens mihi pronubi seu paranimphi partes in hac parte sumerem, non quidem nunc iudico personam, quae hanc affinitatem et coniunctionem tam cum Illustrissima Celsitudine Vestra, quam cum Illustrissima Domo Megapolensi, plurimum ambiat, simul autem atque mentem et voluntatem illarum intellexero, puto me posse non inertem in ea re navare operam et Illustrissimis Celsitudinibus Vestris inservire, et tum me aperte declarabo, quis ille sit, qui hanc coniunctionem et affinitatem ambiat, moribus sane et sermone, itidem Germanicis animi, corporis et fortunae dotibus, ut nunc sunt iam res illius, satis bene a Domino Deo provisus. Cum autem tale coniugium, si accesserit voluntas Illustrissimarum Celsitudinum Vestrarum, facile posset citra longiusculam procrastinationem coire, vellem mihi Illustrissima Celsitudo Vestra ad hoc plane et perspicue respondeat. Ego vero vicissim declarabo me et iuxta quam mihi commissum et mandatum a Celsitudine Vestra fuerit, diligenter, accurate et sedulo in ea re, sicut et in reliquis solitus sum, Illustrissimae Celsitudini Vestrae inserviam... Datum, ut in literis supra.

[a] Servitor Nicolaus Radzyvyl etc.
subscripsit.[b]

a)-b) *manu propria.*
1) *Ioannes Albertus.*

*N. 1781.*

*Calissiae, 1.XII.1560.*

*Ioannes Przerembski, archiepiscopus Gnesnensis, primas R.P.,*
*Alberto in Prussia duci*
*se duci libenter in causa Valentini Stoll, ducis subditi, gratificaturum fuisse significat, si litterae ducis prius pervenissent et causa ipsa sibi cognita fuisset.*

*Sigill.*

*H B A, B 2, K.391.*

*N. 1782.*

*Komajew, 13.XII.1560.*

*Christina Chlebowicz (Chlebowna) Komajewska*
*Alberto in Prussia duci*
*filiolum suum in scholam Regiomontanam mittere desiderans, duci illum commendat, ut cum* « politiori literatura et pietatis studiis, etiam aliquem usum rerum aulicarum... una cum aetate et annis sibi comparet ».

*Sigill.*

*H B A, B 2, K.391.*

N. 1783.

Vilnae, 14.XII.1560.

*Hieronymus Korycki, stabuli regii praefectus,*
*Alberto in Prussia duci*
*subditum ducis, suum vero fidelem servitorem, Andream Kleinaw, in certis negotiis suis Regium Montem proficiscentem, commendat.*
*(Germanice)*

*Sigill.*

*H B A, B 2, K.391.*

N. 1784.

Wiewiórka, 15.XII.1560.

*Ioannes Tarnowski, castellanus Cracoviensis, exercituum R.P. capitaneus,*
*Alberto in Prussia duci*
*Narcissum Italum, propter « Evangelii professionem » exulantem, commendat.*

*Sigill.*

*H B A, B 2, K.391.*

Illustrissime Princeps *etc.*

Qui has literas Illustrissimae Dominationi Vestrae reddet, Narcissus Italus, dicit se propter Evangelii professionem a patria sua exulare atque ad Illustrissimam Dominationem Vestram, tanquam ad commune externorum hominum propter veritatem Dei afflictorum asylum, proficisci velle, a meque petiit, ut eum Illustrissimae Dominationi Vestrae commendarem. Quod ego ei petenti negare nolui. Quare Illustrissimam Dominationem Vestram rogo, ut Illustrissima Dominatio Vestra eum gratia sua ac ea clementia benigne complectatur, qua eiusmodi homines prosequi solet, qualis esse is videtur... Datum ex Wyewiorka, XV Decembris, anno Domini MDLX.

Illustrissimae Dominationis Vestrae
[a] servitor addictissimus [b]
Ioannes Comes in Tarnow, Castellanus Cracoviensis etc.,
[a] manu sua subscripsit.[b]

a)-b) *manu propria.*

N. 1785.

Kryłów, 21.XII.1560.

*Stanislaus Ostroróg, castellanus Międzyrzecensis,*
*Alberto in Prussia duci*
*de suppetiis Livonibus ferendis; de vestibus Aaronicis in ceremoniis ecclesiasticis reiciendis; de falso palatino Valachiae; de morte palatini Cracoviensis* [*Stanislai Tęczyński*]; *de desiderio suo ducem visendi.*

*Sigill.*

*Iam. ed.: Wotschke T., Stan. Ostrorog... (Ztschr. d. Hist. Ges. f.d. Prov. Posen, 1907, Suppl. XVII).*

*H B A, B 2, K.391.*

Illustrissime Princeps *etc.*

Quanto studio et cura Illustrissima Vestra Celsitudo in orbe terrarum

ac praecipue in Regno nostro publice tranquillitatis ac pacis conficiendae costituendaeque afficiatur, ex litteris Illustrissimae Vestrae Celsitudinis, quae graviter et prudenter scriptae sunt, facile est perspicere. Quo nomine Illustrissimam Vestram Celsitudinem plurimum collaudo optoque, ut illius consilia sapienter cogitata optime cadant. Ad me vero quod attinet, daturus sum operam hominesque aequestris [z] ordinis in eam sentenciam, quantum fieri poterit, perducam, ut communi studio auxilioque contra hostem crudelissimum bellum suscipiant miserisque Livonibus suppetias ferant. Idque ut faciam, me inprimis Illustrissima Vestra Celsitudo et ipsorum de Christo recta opinio movet. Nam quidam ex magnatibus Lithwanorum publice et superbe dixit Lithwanos non egere auxilio Polonorum posseque bellum absque illorum opera confici.

Quae quidem vox, a contemptu et arrogancia profecta, gentem nostram plurimum pupugit. Verum ego meum dolorem, cum multis aliis, praecibus Illustrissimae Celsitudinis Vestrae et miseris Livonibus, tot tantisque difficultatibus circumventis, condonans, pro virili contendam, ut illis oportune auxilia submittantur.

Respondi uni epistolae, venio nunc ad alteram. Quod Illustrissima Vestra Celsitudo ordinationem Ecclesiarum Ducatus Prussiae mihi petenti mittere dignata est, magnas eo nomine et ago et habeo gratias, sed pace Illustrissimae Vestrae Celsitudinis dixerim: est, quod in illa desidero. Nam Aaronicae vestes et in templis positae imagines mihi non probantur, eaeque iam pridem a me explosae erasaeque sunt. Idque ut facerem, duae potissimum causae me impulere. Quarum altera est mandatum illud divinum: Non facies tibi sculptile, altera iudicium eruditissimi et pientissimi viri Philippi Melanctonis, qui ad me scripsit sua manu dolere se non ab inicio idem a Lutheranis factum meumque facinus ea in re laudavit. Porro nusquam memoriae proditum est Apostolos eiusmodi vestibus Aaronicis usos. Quare ignosci mihi peto, si ab Illustrissima Vestra Celsitudine hac in parte propter eas rationes, quas dixi, dissencio.

Nova scripcione digna nulla sunt, nisi quod quidam, qui se falso Despotem [1] nominavit, cum quibusdam Regni nostri proceribus Palatinum Walachiae [2] gradu locoque deturbare, possessionem invadere seque Palatinum efficere conatus est. Verum hi omnes a Palatino Russiae [3] iussu Regiae Maiestatis pulsi, fugati et amissis omnibus impedimentis in turpem fugam coniecti sunt. Adiutores sociosque ex Polonis habuit Despotes Albertum Lascum, filium olim Hieronimi Lasci, et quendam Philipowsky,[4] cum quo nupta est vidua uxor olim Domini Miszkowski, Castellani Woinicensis,[5] et Liasoczky [6] quidam. Qui quidem duo cum sint nostrae religionis, magnum sine dubio periculum adibunt. Nam pontificii, hac oblata occasione, criminando suum dolorem, quem sibi a nostris inuri putant, ulciscentur, et Regia Maiestas fortassis severam sentenciam feret. Nam hoc temerarium factum contra leges et foedera publica susceptum est. Legibus enim apud nos vetitum est, ne quisquam privatus, vel centum equitibus armata manu, vim alicui adferat.

Altera nova haec sunt. Palatinus Cracoviensis fato concessit. Is iam iam filium suum, egregium, pium, modestum iuvenem,[7] suavitate morum

formaeque elegantia peramabilem et tanto fastigio splendoreque familiae dignum, qui nuper ex Gallia rediit, Wylnam ad Regem missurus erat. Inde ad Illustrissimam Vestram Celsitudinem, ut eam videret, salutaret et sua servitia deferret, iturus erat. Sed mors parentis omnes has rationes perturbavit.

Caeterum auditu iucundissimum mihi fuit, quod Illustrissima Vestra Celsitudo me de prospera valetudine sua et Illustrissimae coniugis suae et liberorum certiorem fecit, optoque ex animo, ut ea sit perpetua. Postremo loco facere non possum, quin Illustrissimae Vestrae Celsitudini meum dolorem aperiam, quem inde concipio, quod multis variisque saepe quaesitis occasionibus, iucundissimo conspectu et suavissimo colloquio Illustrissimae Vestrae Celsitudinis fruendi, fortuna nusquam arrideat. Nam post homines natos neminem pluris Illustrissima Vestra Celsitudine feci, idque ut credat, facile induci poterit, si meminerit peticionis colloquiique nostri mutui habiti. Ego enim is sum, qui una cum omnibus meis et Illustrissimae Celsitudini Vestrae et eius posteris perpetuo deserviturus sum. Super qua quidem petitione non dubito, quin Illustrissima Vestra Celsitudo aliquando aduc cogitacionem susceptura et clementiam suam erga me exertura sit. Plura scriberem, si litteris committere auderem. Itaque Illustrissima Vestra Celsitudo haec boni consulat. Quod superest, a Deo precor, ut Illustrissimam Vestram Celsitudinem diu salvam et incolumem servet, a qua et illud unicum peto, ut me, qui Illustrissimae Vestrae Celsitudini sum multis nominibus addictissimus, sua gratia prosequi pergat. Datum ex arce Crylow, die brumae, anno 1560.

[a] Vestrae Illustrissimae Celsitudinis
perpetuus ac fidissimus servitor
Stanislaus ab Ostrorog
manu propria subscripsit.[b]

a)-b) *manu propria.*
z) *sic in ms.*
1) *Iacobus Heraclides Basilicus.*
2) *hic agitur probabiliter de palatino Moldaviae, Alexandro Lapušneanu.*
3) *Nicolaus Sieniawski.*
4) *Hieronymus Filipowski.*
5) *Nicolaus Myszkowski.*
6) *Christophorus Lasocki.*
7) *Ioannes Tęczyński.*

*N. 1786.*

*Vilnae, 29.XII.1560.*

*Nicolaus Łaski*
*Alberto in Prussia duci*
*rogat, ut dux sibi aliquot cornua cervina mittat, quae quibusdam amicis suis in Batavia dono mittenda promiserat; brevi se duci pariter pulchra ab amicis in Podolia missurum promittit.*
*(Germanice)*

*Sigill.*

*H B A, B 2, K.391.*

*N. 1787.*

*s.l. s.d. [1560]*

*Hieronymus Chodkiewicz, castellanus Vilnensis, capitaneus Samogitiae, Alberto in Prussia duci*
*tardiorem reditum aulici ducis, Iacobi Modrzewski, aegritudine eiusdem excusat; antea a filio suo, Ioanne Chodkiewicz, eum retentum esse addit.*
*(Germanice)*
*Sigill.*
*H B A, B 2, K.391.*

*N. 1788.*

*Poniemoń, s.d., 1560.*

*Nicolaus Stankiewicz - Bielewicz*
*Alberto in Prussia duci*
*equum ad expeditionem bellicam aptum sibi mitti petit.*
*(Polonice)*
*Sigill.*
*H B A, B 2, K.391.*

# 1561

N. 1789.

Kroże, 1.I.1561.

*Ioannes Iłgowski, vicecapitaneus Samogitiae,*
*Alberto in Prussia duci*
*pro nobili Leonardo Maczkajtis (Mackajtis), subdito regio ex districtu Carscheviensi, ut ei subditus profugus, Laurentius Griczajtis, in arce Thilzensi incarceratus et postea dimissus, a praefecto eiusdem arcis extradatur.*

*Sigill.*

*H B A, B 2, K.392.*

N. 1790.

Lipsiae, 5.I.1561.

*Martinus Kwiatkowski (Quiatkovius), minister verbi,*
*Alberto in Prussia duci*
*pro beneficiis hactenus in se collatis gratias agit, subsidia expostulat.*

*Sigill.*

*H B A, B 2, K.392.*

Gratiam, pacem, misericordiam ac longaevum successum a Deo Patre per Unigenitum Filium eius, Dominum nostrum Iesum Christum, Illustrissimae Celsitudini Vestrae in annos Nestoreos ex intimis, tanquam Domino suo clementissimo, opto.

Ab ineunte usque aetate consentaneum esse semper duxi, Princeps Illustrissime ac Domine Christianissime, vestigiis Principis sapientiae, Solomonis, hiis inniti: Mendicitatem et divitias non dederis mihi, Domine, tantum ex immensa gratia tribue victui et amictui meo necessaria, ne forte satiatus obliviscar nominis sancti Tui, inquiendo: Quis est Dominus? Vel aegestate compulsus, furer ac periurem nomen Domini Dei mei. Idcirco exaudivit Dominus vocem indignam deprecationis meae ac mihi Vestram Illustrissimam Celsitudinem, tanquam instrumentum divinitus oblatum, mirifice subministravit. Per Vestram enim Celsitudinem clarissimis muneribus haud per exiguum intervallum temporis me largissime decorarat. Pro quibus cunctis munifice in me benefitiis collatis Deo et Filio eius, humani generis Recuperatori, simulque Illustrissimae Celsitudini Vestrae maximas et corruptioni minime obnoxias gratias ago age-

reque, quoad spiravero, non desinam. Porro eundem Patrem Domini nostri Iesu Christi assiduis precationibus solicitabo, ut mihi aliquando talem occasionem concedere dignetur, per quam animum meum Tuae Illustrissimae Celsitudini [a] in horas ardentissimum re ipsa potius, quam iam verbis, declarare queam.

Nihil enim mihi in toto orbe terrarum iucundius ac delectabilius contingi potuisset, nisi ut me gratum Illustrissimae Celsitudinis Vestrae largissimorum munerum opere ipso illustrare possim. Ac ita, auxiliante Deo, vires meas in hac moderna vocatione in hunc scopum intendo,[b] ut, si non gratus propter tenuitatem ingenioli et imbecillitatem virium horum amplissimorum donorum, ingratus tamen animadverti, quoad vixero, a Vestra Illustrissima Celsitudine non potero. Si vires defuerint, laudanda tamen erit voluntas. Demum istud propositum in hac vocatione meum absque auxilio Illustrissimae Celsitudinis Vestrae ad ipsum fastigium perduci minime potest, siquidem Divus Ambrosius manifeste affirmat divitias esse instrumenta virtutum ac egregiorum quorumvis facinorum. Ego vero, Illustrissime Princeps, Domine et Patrone mihi Clementissime, ita modo aegestate ac penuria funditus omnium rerum laboro, ut, si Illustrissima Celsitudo Vestra servulo minimo suo ac quoad movebitur fidelissimo, quam primum praesidio sancto suo non succurerit, tum diutius hisce in regionibus vaccare ingenuis studiis (proh dolor) non concedetur.

Quare iterum atque iterum Illustrissimam Celsitudinem Vestram in modum obsecro, ut Illustrissima Celsitudo Vestra infimi ministri sui recordari dignetur ac eum sereno et hilari vultu intueri non gravetur. Quod opus sanctae pietati ac liberalitati Illustrissimae Celsitudinis Vestrae convenientissimum aptissimumque, Vestram Illustrissimam Celsitudinem causa Ecclesiae Christi, cuius ego exigua plantula sum, praestaturam minime dubito. Deus unus in essentia, aeternus [c] in personis, Vestram Illustrissimam Celsitudinem in bona valetudine, foelice Reipublicae administratione, sempiterna pace, syncera et abundanti salutiferi verbi sui cognitione, simul cum Illustrissimis Principibus, nempe coniuge et liberis, atque omnibus fidelibus, addictis et subditis, propter utilitatem Ecclesiae Christi ac emolumentum Reipublicae per gratiam suam in tempora longeva conservare dignetur. Datum Lipsiae, 5 Ianuarii, anno 1561.

Illustrissimae Celsitudinis Vestrae minimus clyens
ac obsequundatissimus, quoad vixerit, minister
Martinus Quiatkovius de Rozicze.

a) *in ms.* Celsitudinis
b) *correctum ex:* intenda
c) *sic in ms., probabiliter pro:* et ternus

*N. 1791.*

*Bieżuń, 15.I.1561.*

*Elisabetha de Sieprc Brudzewska, palatina Lanciciensis,*
*Alberto in Prussia duci*
*iterum de causa sua et sororis suae, Ursulae Lwowska, de bonis hereditariis Mielno cum Alberto Finck (vel Fincka) habita, quae in praeteritis iudiciis terrestribus in oppido Olsztynek celebratis concludi nondum potuerat.*

*Sigill.*

*H B A, B 2, K.392.*

N. 1792.

*Sieprc, 17.I.1561.*

*Ursula de Sieprc Lwowska, castellana Covaliensis,*
*Alberto in Prussia duci*
*conqueritur de subdito ducis, capitaneo in Schönberg (Szymbarski) qui fugitivos subditos suos ex bonis suis Żarnoviensibus, detinet et extradere non vult.*

*Sigill.*

*H B A, B 2, K.392.*

N. 1793.

*Goluchoviae, 22.I.1561.*

*Raphael Leszczyński, capitaneus Radziejoviensis,*
*Alberto in Prussia duci*
*de negotio apprehendendae hypotecariae possessionis arcis Soldaviensis et de modis solutionis pro ea faciendae.*

*Sigill.*

*H B A, B 2, K.392.*

N. 1794.

*Vilnae, 17.II.1561.*

*Philippus Padniewski, episcopus Cracoviensis, R.P. vicecancellarius,*
*Alberto in Prussia duci*
*litteras immunitatis de 400 bobus et 200 iuvencis e Regno Poloniae absque vectigalis solutione exigendis mittit, quas prius misisset, si litterae ducis hac in re sibi tempori redditae fuissent.*

*Sigill.*

*H B A, B 2, K.392.*

N. 1795.

*Cracoviae, 18.II.1561.*

*Ioannes Boner de Balice, castellanus Biecensis,*
*Alberto in Prussia duci*
*de negotio gregis ovium acquirendi; de bello Livonico; de quattuor vasis vini pro duce coempti.*

*Sigill.*

*H B A, B 2, K.392.*

Illustrissime Princeps *etc.*

Accepi literas Illustrissimae Celsitudinis Vestrae, quibus Illustrissima Celsitudo Vestra mihi rescribere dignetur et quantum pertinet ad petitionem meam promulgandae[z] ovilis gregis causa, quod se adeo benigne

atque gratiose offert petitioni meae, atque futuro autumno id se praestaturum pollicetur, summas et quam maximas possum habeo gratias, et Deo volente ac cedente illo tempore, prout Illustrissima Celsitudo Vestra me iubet, in tali negotio ad se mittere non praetermittam.

Ea, quae mihi Illustrissima Celsitudo Vestra communicatur[z] de bello Livonico, quis est adeo obtusus, qui id plane ita esse non agnoscat? Sed quoniam Illustrissima Celsitudo Vestra novit consuetudines omnes Regni nostri probe, itaque inde perspicere potest, absente Regia Maiestate, vel sine conventionibus particularibus ac deinde summa generali, nihil apud nos in huiusmodi negotiis dici tractarive posse. Nihilominus tamen, dum aut Regia Maiestas adveniat, aut Comitiae indicantur, cum plerisque senatorii[z] dignitatis hominibus, in quorum auctoritate plurimum interest, tum etiam aliis ex equestri ordine viris praecipuis, ex me ipso privatim his de rebus conferam, praecipue vero cum illis, qui Evangelicae veritati nomen dederunt, ita ut, si haec res aliquando in disputationem deducatur, in consilio tractaretur facilius, ac bene in ea instructi, pro commodo et honore Regni, consilia dare possint. De quo certe nihil dubitandum est, modo hoc negotium cum Senatu et Ordinibus Polonicis communicetur. Quod si dudum factum fuisset, sine dubio bellum hoc foeliciorem et optabiliorem exitum sortiri potuisset.

Vini vasa quatuor, quae potui praestantissima hoc anno nancisci, pro Illustrissima Celsitudine Vestra coemenda curavi, quae iam hic Cracoviae sunt deposita, neque aliud expecto, quam mandatum Illustrissimae Celsitudinis Vestrae, quid cum illis faciendum sit vel quo ea transmitti velit. Debeam-ne hic vectores conducere et illorum fidei vina concredere, vel expectandum sit, donec Illustrissima Celsitudo Vestra mittat proprium aliquem servitorem, qui ea illibata sincera fide perducat... Datum Cracoviae, die XVIII Februarii, anno 1561.

[a] Illustrissime Celsitudinis Vestre
deditissimus servitor
Ioannes Bonar de Balicze, Castellanus Bieczensis,
manu propria.[b]

a)-b) *manu propria.*
z) *sic in ms.*

*N. 1796.*

*Zamek (Zamech), 22.II.1561.*

*Stanislaus Ostroróg, castellanus Międzyrzecensis,*
*Alberto in Prussia duci*
*Horatio Curioni ad ducem redeunti certa duci referenda commisisse se nuntiat.*

*Sigill.*

*H B A, B 2, K.392.*

N. 1797.

*Goluchoviae, 22.II.1561.*

*Raphael Leszczyński, capitaneus Radziejoviensis,*
*Alberto in Prussia duci*
*de tempore et loco persolvendae duci pecuniae pro arce Soldavia in possessionem accipienda.*

*Sigill.*

*H B A, B 2, K.392.*

N. 1798.

*Vilnae, 12.III.1561.*

*Eustachius Wołłowicz, marsalcus et notarius regius,*
*Alberto in Prussia duci*
*Venceslaum Schack, ducis consiliarium, libenter se audivisse nuntiat eique aliqua duci referenda commisisse.*

*Sigill.*

*H B A, B 2, K.392.*

N. 1799.

*Poltoviae, 20.III.1561.*

*Andreas Noskowski, episcopus Plocensis,*
*Alberto in Prussia duci*
*de tempore negotio regundorum finium inter Ducatus Prussiae et Masoviae designando.*

*Sigill.*

*H B A, B 2, K.392.*

N. 1800.

*Zamek (Zamech), 25.III.1561.*

*Stanislaus Ostroróg, castellanus Międzyrzecensis,*
*Alberto in Prussia duci*
*Achillem Scipionem commendat (cfr. EL. XXXI, N. 734).*

*Sigill.*

*H B A, B 2, K.392.*

Illustrissime Princeps *etc.*

Achillem Scipionem, virum rectum altique animi et magnis rebus agendis tractandisque exercitatum, amavi, uti debui, plurimum eiusque

causa semper volui omnia. Is cum ad me venisset ac demonstrasset se et a Serenissimo Poloniae Rege, et ab Illustrissima Vestra Celsitudine, et Duce Constantino,[1] ut iis operam studiumque suum in omnibus minimis maximis rebus pro virili navaret, per literas salario proposito vocari, meque, cui potissimum se addiceret, consuluisset, ego, memor Illustrissimae Vestrae Celsitudinis erga me prope singularis benevolentiae, meaeque vicissim erga eandem perpetuae observantiae, simul etiam temporum horum difficultatem ac impendentia mala consyderans, homini tam egregio et idoneo hortator suasorque fui, ut se ad Illustrissimam Vestram Celsitudinem potius, quam ad ullum alium, conferret. Idque ut facerem, me cum multae aliae causae, tum hominis virtus prudentiaque et in re militari peritia, quae partim ipse perspexi, partim ex aliis, quibus probe cognitus est, cum in Germania existerem, audivi, adduxerunt. Est enim Scipio is, qui non tantum Illustrissimae Vestrae Celsitudini, sed etiam filio et in toga et in armis usui esse poterit.

Quam ob rem Illustrissimae Celsitudinis Vestrae prudentiam, quod tam dignum hominem asciverit, plurimum collaudo. Caeterum legi partim, quid Illustrissima Vestra Celsitudo ei in quemlibet annum stipendii nomine promiserit, partim ex ipso audivi, quam ei praefecturam munusque conferre velit. Etsi autem benignitatem Vestrae Illustrissimae Celsitudinis non improbo, tamen ei do, si non prudens, ac certe fidele consilium, ut potius eum circa se habeat foveatque ac ei stipendium (nam quos aureos montes, si Diis placet, Dux Constantinus, qui ne comparandus quidem est ad Illustrissimam Vestram Celsitudinem, promiserit et certo inito contractu confirmarit, ex ipso intelliget) unde liberaliter, perinde ut eius virtus et prudentia postulat, decernat, vivere possit. Nam et ita plenius suam operam fidemque Illustrissimae Vestrae Celsitudini probare poterit et eius aetati iam ingravescenti magis conducet.

Qua quidem in re sic eum Illustrissimae Celsitudini Vestrae commendo, quasi res mea agatur. Plura non scribam, ne vel prudentiae vel munificentiae Illustrissimae Vestrae Celsitudinis diffidere videar. Unum hoc dico: Etsi mihi fortuna, nescio quo fato, iucundissimum conspectum, suavissimum congressum et prudentissimum colloquium cum Illustrissima Vestra Celsitudine (quod dies et noctes meditor) invidet, ego tamen neque Illustrissimae Vestrae Celsitudini magnos et claros viros, quibus unice delector, neque iis rursus ea, quae mihi a Diis negantur, invidere possum. Reliquum est, ut illud meum proprium servem, et a Deo Optimo Maximo precor, ut Illustrissimam Vestram Celsitudinem quam diutissime salvam et incolumem, una cum coniuge et filio reliquisque liberis, conservet et tueatur, ac omni studio contendam, ut me sua clementia prosequi (ut solet) dignetur. Datum ex arce Zamech, die Annunciationis Mariae, anno 1561.

[a] Vestrae Illustrissimae Celsitudinis
addictissimis fidissimusque servitor
Stanislaus ab Ostrorog
manu propria subscripsit.[b]

a)-b) *manu propria.*
1) *Ostrogski.*

*N. 1801.*

*Lucoviae, 13.IV.1561.*

*Barbara Kamieniecka, succameraria regia,*
*Alberto in Prussia duci*
*pro clementia filiis suis, in Academia Regiomontana litteris operam navantibus, exhibita gratias agit.*

*Sigill.*

*H B A, B 2, K.392.*

Illustrissime Princeps *etc.*

Tametsi nulla materia occurrit, quam scriptu dignam Vestrae Illustrissimae Dominationi putavi, tamen vero quum in illas partes Regiomonti me servitorem meum causa visendi liberos suos mittere curavi, quin imo summo affectu placuit, et plane silentio praeterire nolui, quin litteris suis Vestrae Illustrissimae Dominationi officium et observantiam servitiorum meorum illi testificer et commendem, quem omnino clementem et gratiosum mihi semper efficere Dominum summa ope adnitor. Cui a Deo Optimo Maximo, Servatore nostro, id, quod summum in animi et corporis bonis habetur, Vestrae Illustrissimae Dominationi tribui et concedi opto. Enimvero quamvis Sacra Regia Maiestas, Dominus meus clementissimus, ita non pridem ex sua mera et innata regali clementia servitores et subditos suos minorennes, liberos olim Domini Succamerarii Suae Sacrae Maiestatis Regiae et meos, in amplissimam gratiam Vestrae Illustrissimae Dominationis per Magnificum Dominum Fabianum Cema, Palatinum Pomeraniae, commendare dignata est, quos Vestra Illustrissima Dominatio comiter et clementer excipere eosque quam primum egregio ac doctissimo viro, Domino David Voit, Sacrae Academiae Regiomontanae in sacra teologia Professori, causa vel gratia addiscendarum bonarum doctrinarum commendare non est gravata, non dubito enim, ni fallor, immemor existens Vestra Illustrissima Dominatio deditissimorum servitiorum olim Domini Succamerarii superius expressi, mariti mei observandissimi, parentis vero liberorum eorundem utriusque nostrum, uti coepit, gratia sua prosequi non dedignabitur.

Pro cuius tanta erga illos, que mihi insinuit auribus, benignitate, dummodo tantam Vestrae Illustrissimae Dominationis magnitudinem gratiae ego demereri prorsus nequeo, neque opis sit mee, neque quicquam tam magnifice audeo dicere, quin clementia poenitus Vestrae Illustrissimae Dominationis superet, nempe tamen licet, indigna foemina, Deum quippe Auctorem et Servatorem mundi in dies perpetuis praecibus exoratura, quatinus Vestram Illustrissimam Dominationem diu incolumem ac superstitem, una cum Vestrae Ilustrissimae Dominationis coniuge et inclita sobole sua charissimis, pro meo et liberorum meorum unico solatio et ornamento fovere dignetur et de omnibus inimicis semper triumphantem praestet. Commendo igitur iterum atque iterum servitia mea liberorumque meorum humillima in eandem amplissimam gratiam Vestrae Illustrissimae Dominationis... Datum Lucoviae, dominica Conductus Paschae, LXI.

Eiusdem Vestrae Illustrissimae Dominationis
ad omnia vota promptissima et deditissima
vidua Barbara de Kamieniecz,
Sacrae Maiestatis Regiae Succameraria.

*N. 1802.*

*Vilnae, 14.IV.1561.*

*Raphael Leszczyński, capitaneus Radziejoviensis,*
*Alberto in Prussia duci*
*post suum Vilnam adventum litteras ducis se accepisse nuntiat, ducis mandata exsecutum esse, de omnibus coram esse relaturum.*

*Sigill.*

*H B A, B 2, K.392.*

*N. 1803.*

*Poltoviae, 15.IV.1561.*

*Andreas Noskowski, episcopus Plocensis,*
*Alberto in Prussia duci*
*rationes et impedimenta enumerat, quibus factum est, quominus negotium finium inter Masoviae et Prussiae Ducatus regundorum hactenus ad optatum finem deductum sit.*

*Sigill.*

*H B A, B 2, K.392.*

*N. 1804.*

*Vilnae, 20.IV.1561.*

*Nicolaus Radziwiłł, palatinus Vilnensis,*
*Alberto in Prussia duci*
*de quibusdam praefecturis et curiis regiis, Prussiae vicinis, duci oppignorandis, ut pecunia pro usu bellico reperiatur.*

*Sigill.*

*H B A, B 2, K.392.*

Illustrissime et Excellentissime Princeps *etc.*

Ex litteris Illustrissimae Celsitudinis Vestrae proxime mihi redditis summa illius in Maiestatem Regiam fides, summus observantiae et voluntatis affectus, tum in Rempublicam hoc periculoso et ancipiti rerum statu promptus expeditusque Celsitudinis Vestrae elucescit animus, elucescit accurata diligentia vigilantiaque et sollicitudo, qui non fortunis suis, non aetati, non etiam valetudini suae, forte ob eosdem annos ingravescenti, parcere dignatur, quin ex usu et necessitate rerum praesentium salutaria et utilia consilia Maiestati Regiae suppeditet et promptitudinem in oppignorandis suis pro conflando belli nervo eidem Maiestati Regiae declaret, dum quantam in universum peccuniarum summam a Celsitudine Vestra Maiestas Regia indigeat, exquirere dignatur. Quae omnia ut de observanti et addictissima voluntate Illustrissimae Celsitudinis Vestrae minime obscurum, sed clarum et evidens testimonium erga Maiestatem Regiam perhibent, ita non possunt Maiestati illius non nisi gratissima esse acceptissimaque. In praesentiarum itaque mitto Celsitudini Vestrae per hunc illius cubicularium librum reddituum praefecturae et praesidiatus Jurburgk, ex quo Illustrissima Celsitudo Vestra intelligere digna-

bitur ultro duo millia florenorum in nudis proventibus ex praefectura illa hactenus provenisse. Praesenti vero et sequentibus deinde annis ex novis villis, in nova radice non ita pridem locatis, tertius fere millenarius florenorum accrescet et iam accrevit libertate colonis expirata. Ad eam itaque praefecturam vellet Maiestas Regia a Celsitudine Vestra quadraginta millia florenorum habere. Nam si per septem florenos de singulis centenis ratione annui interesse Illustrissima Celsitudo Vestra contenta esse dignabitur, tum illi summae capitali redditus isti corespondebunt. Interest autem Maiestati Regiae plurimum, ut ea summa primo quoque tempore a Celsitudine Vestra numeretur. Nam illa opus habebit pro instante quartali Sanctae Trinitatis ad stipendiorum militi mercenario exsolutionem.

Quare magnopere petit et postulat Maiestas Regia, ut de numeratione eius summae eo diligentius Celsitudo Vestra in praesentiarum cogitet. In eam porro curam successive incumbat, quo ultra haec quadraginta sexaginta adhuc millia, ad complementum scilicet centum millium, numeret. In qua summa Maiestas Regia alias praefecturas et curias suas Prussiae vicinas, quae Celsitudini Vestrae videbuntur, oppignorare dignabitur. Id, quod in praesentiarum ad Illustrissimam Celsitudinem Vestram citra moram perferre volui.

Ad reliquas vero litterarum Celsitudinis Vestrae partes, nempe de re monetaria et reliquis rebus, per alium veredarium, Alexandrowicz, qui etiam hic propter aegritudinem detinetur, Celsitudini Vestrae ex sententia Maiestatis Regiae respondebo. Nunc enim rarius Maiestatem eius convenio propter medicinam, qua nunc non tam curationis, quam praeservationis causa utor, praeparando me videlicet ad instantis aestatis et autumni labores, qui sane multi mihi summendi et devorandi forte erunt, utinam cum fructu Reipublicae et Maiestatis Regiae dignitate, inprimis vero salutis Livoniae et recuperationis pristini status vindicationeque ex turpi et barbarica hostis huius servitute. Quod restat, oro Dominum Deum, ut Celsitudinem Vestram, tanquam salutare Reipublicae organum, in his inperiosis motibus conquassationibusque florentem et bene valentem conservet. Datae Vilne, XX Aprilis, anno Domini MDLXI.

Illustrissimae Celsitudinis Vestrae
[a] servitor
Nicolaus Radzivil subscripsit.[b]

a)-b) *manu propria.*

*N. 1805.*

*Cracoviae, 23.IV.1561.*

*Ioannes Boner de Balice, castellanus Biecensis,*
*Alberto in Prussia duci*
*iuxta desiderium ducis, quattuor vasa vini Hungarici ad usum ducis se emisse nuntiat eiusdemque vini bonitatem laudat; mittit nova Romana et Turcica (quae tamen in Archivo non inveniuntur); de periculo motuum Turcicorum in Hungaria vel belli inter imperatorem* [*Ferdinandum I*] *et filium regis Ioannis* [*Ioannem Sigismundum*].

*Sigill.*

*H B A, B 2, K.392.*

*N. 1806.*

*Vilnae, 4.V.1561.*

*Nicolaus Łaski, capitaneus Crasnostaviensis,*
*Alberto in Prussia duci*
*de futuris nuptiis suis cum Sophia Śmigielska, ex gynaeceo reginularum Poloniae virgine, ducem certiorem reddit eumque vel in persona vel saltem per oratorem ad easdem nuptias cohonestandas invitat.*

*Sigill.*

*H B A, B 2, K.392.*

*N. 1807.*

*Kórnik, 18.V.1561.*

*Stanislaus a Górka, capitaneus Colensis (Kolensis)*
*Alberto in Prussia duci*
*rogat, ut ei dux equum aliquem Frisium mittere velit.*

*Sigill.*

*H B A, B 2, K.392.*

*N. 1808.*

*Vilnae, 18.V.1561.*

*Eustachius Wołłowicz, marsalcus curiae M.D.L.,*
*Alberto in Prussia duci*
*pro benevolentia erga Fridericum Ciżemski, consanguineum suum, gratias agit; refert rumores de Mosco in Livoniam eunte et de duce Wiśniowiecki in Moscoviam profugo.*

*Sigill.*

*H B A, B 2, K.392.*

Illustrissime Princeps *etc.*

Ex iucundissimis literis Illustrissimae Celsitudinis Vestrae intellexi eandem clementissimam esse huic praesentium exhibitori, consanguineo meo Friderico Zizemski, cuius incolumi regressui et a periculo submersionis evasioni propter me quidem gratulatur. Pro quo nedum gratias ingentes Illustrissimae Celsitudini Vestrae habeo, sed Deum Optimum Maximum in dies noctesque oro, ut illam semper diuque incolumem ac ab omnibus periculis immunem conservare dignetur, quae minimi servitoris sui infoelici casui compati dignata est. Qui utinam Illustrissimae Celsitudini Vestrae cum tota famillia sua ad omnia servitia obeunda dignus sit, ex animo opto. Id enim loco privatae consolationis mihi, servitori Illustrissimae Celsitudinis Vestrae, esset.

Caeterum Illustrissima Celsitudo Vestra, quid novi hic sit vel audiatur, ut illam certiorem redderem, mihi iniunxit. Hic aliud nihil, nisi quod Moschum exercitu magno in Livoniam ire auditur, sed hodie ex capita-

neatu meo, quem mihi Sacra Regia Maiestas, Dominus meus clementissimus, in finibus fere Moschorum commendavit, vicegerens meus significavit selectiores fortioresque homines ex copiis iisdem Moschi missos esse contra repugnandam vim Thatarorum. Illic si Thataris rebellare, vel si Ducem illum Wisnievieczki,[1] qui erat ex Lithwania ad Moschoviam profugus, in vincula conicere profecti sunt, incertum est. Nam fama est hunc Wisnievieczki iam se reiectum esse ab imperio Moschi. Praeterea nihil est... Datum Vilnae, XVIII Maii, anno Domini MDLXI.

[a] Eiusdem Illustrissimae Celsitudinis Vestrae
addictissimus servitor
Eustachius Wolovicz, Marschalcus
Sacrae Regiae Maiestatis subscripsit.[b]

a)-b) *manu propria.*
1) *Demetrius.*

*N. 1809.*

*Kryłów, 3.VI.1561.*

*Stanislaus Ostroróg, castellanus Międzyrzecensis,*
*Alberto in Prussia duci*
*narrat de falsa notitia mortis Bernardi Pretwicz.*

*Sigill.*

*H B A, B 2, K.392.*

Illustrissime Princeps *etc.*

Narravit mihi Dominus Konarski[1] nuntium ad Illustrissimam Vestram Celsitudinem de morte Domini Pretwicz perlatum esse. Id quidem aliter est. Sed tamen cuiusmodi sit, operae pretium duxi me ad Illustrissimam Celsitudinem Vestram perscribere oportere. Est enim auditu mirandum et iucundum. Incidit in gravissimum morbum seu, ut expressius loquar, vehemens deliquium animi incurrit, ut pro mortuo diu iaceret ac iam quasi conclamatus videretur. Fuit enim e lectulo in aream quandam elatus ac sindone indutus, quasi iam sepulturae mandandus. Familia, ut fit, diffugit, casum mortemque heri sui miserans. Quidam, et in his sacrificulus, scolasticus, servitor, item puer, mirabundi apud corpus manserunt. Uxor cum liberis se in interiorem aedium partem abdidit, eiulatu lachrimisque omnia complens. Interim servitor accurrit, metu fere exanguis, nuntiat Dominum sinistrum pedem movere, cum pro exanimi bene diu iacuisset. Monstri simile, nemo primo credere, et tamen spe metuque pleni certatim se effundunt. Ibi Pretwicz coepit dextram manum extendere, qua apprehensa uxor, liberi servitoresque eum in pedes erexerunt. Ille vero spiritum vitamque, quam bene[a] ante exhalasse videbatur, paulatim recepit, ad[b] se rediit, at tum intentis in coelum oculis in haec verba prorupit:

Omnipotens, misericors Deus, ago tibi immensas gratias et agam, quoad vixero, quod me ab inferis revocasti, quod mihi vitam prorogaris, ut eam emendem, me sanctius ad mortem praeparem et liberos meos diligentius instituam. Post haec verba in hypocaustum maius delatus est atque inde in minus, in lectulum, ubi paululum quiescens, quasi iam penitus confirmata valetudine, egressus, tubicines et tympanistas canere,

omne genus ludicri spectaculi cursu equorum, saltatione etc. aedere iussit, modo flere, modo gaudere, identidem Deo gratias agere, quod se vitae restituisset. Hoc mihi hodie atque hac hora, post priorem epistolam scriptam obsignatamque, eius familiaris, nobilis quidam, honestus et gravis vir retulit, sancte iurans rem se hoc modo habuisse. Quam ego, quod sciam, quanti illum virum Illustrissima Celsitudo Vestra faciat, et quidem iure, ad Illustrissimam Celsitudinem Vestram perscribendam putavi. Ab Illustrissima autem Vestra Celsitudine peto, ut hoc meum studium boni consulat. Data raptim ex arce Crilovio, 3 Iunii post meridiem, cum iam Dominus Konarski in itinere esset, 1561.

[c] Vestrae Illustrissimae Celsitudinis
addictissimus servitor Stanislaus
ab Ostrorog manu propria subscripsit.[d]

a) bene *pro expuncto:* paulo *suprascriptum.*
b) ad *bis scriptum.*
c)-d) *manu propria.*
1) *Marcellus.*

*N. 1810.*

*Kryłów, 3.VI.1561.*

*Stanislaus Ostroróg, castellanus Międzyrzecensis,*
*Alberto in Prussia duci*
*de causa Livoniensium; de imaginibus et vestibus in ceremoniis ecclesiasticis; de irruptione a Tartaris prope Winnica facta; de incerta morte despotae Moldaviae.*
*Sigill.*
*H B A, B 2, K.392.*

Illustrissime Princeps *etc.*

De Livoniensibus, si recte memini, bis antea Illustrissimae Vestrae Celsitudini rescripsi. Ac si nullam aliam haberem causam, cur illis bene consultum vellem, vel ea sola apud me esset plurimi, ut tantummodo Illustrissimae Vestrae Celsitudini morem gererem. Itaque eorum causae suffragor et suffragabor. Quas vero ea causa habeat difficultates et impedimenta, Illustrissima Vestra Celsitudo ex fidissimo servitore suo, Domino Konarski,[1] audiet. Sunt enim eiusmodi, ut calamo tuto committi nequeant. Copiae, quas Regia Maiestas parat contra, sunt quinquaginta ducenti et bis mille equites, pedites mille.

Quae de imaginibus et vestibus Aaronicis scripsi, non tam scripsi, ut ceremonias in Prussiae Ducatu improbarem, quam ut mentem iuditiumque Illustrissimae Vestrae Celsitudinis exquirerem. Quod cum intelligo cum meo praeclare congruere (nam ego quoque ita sentio), mirum in modum laetor. De petitione mea Illustrissimae Vestrae Celsitudini curae esse gratissimum mihi est, idque ut ita sit, maiorem in modum oro ac a Deo precor, ut ea res eum, quem omnibus votis cupio, exitum quam primum sortiatur.

Nova nulla sunt, nisi quod Palatinus Russiae[2] nudius tertius mihi scripsit manum quandam Scytharum in Lituaniam prope Vynnicza irruptionem fecisse magnamque et hominum et pecoris praedam abegisse. Allatum est etiam Dominum Despotem[3] veneno e medio sublatum. Sunt

rursus, qui id ex composito sutum dicant, ut hoc stratagemate occultus Walachiam opprimere possit. Meus affinis, Albertus a Lasco, operam suam ei navabit. Exercitum, qui constat partim equitibus, partim peditibus, et summam tredecim millium efficere dicitur, per fines Ungariae ducent. Summa haec est: si Despotes vivit, tumultus orientur. Qui, ut alia taceam, etiam Domino Konarski, in Walachiam proficiscenti, vereor, ne aliquid periculi et difficultatis creent. Reliqua Illustrissima Vestra Celsitudo de homine probo, prudente et Illustrissimam Vestram Celsitudinem plurimum amante, Legato suo, cuius adventus sermoque mihi exoptatissimus fuit, cognoscet. Extremum est, ut illud meum solenne servem ac a Deo primum precer, ut Illustrissimam Vestram Celsitudinem diu salvam et incolumem conservet, deinde rogem, ut me, qui Illustrissimae Vestrae Celsitudini fui, sum et ero deditissimus, sua gratia prosequi pergat. Data ex arce Crilovio, 3 Iunii, 1561.

[a] Vestrae Illustrissimae Celsitudinis
fidissimus servitor
Stanislaus Ostrorog manu propria
subscripsit.[b]

a)-b) *manu propria.*

1) *Marcellus.*
2) *Nicolaus Sieniawski.*
3) *Iacobus Heraclides Basilicus.*

*N. 1811.*

*Vilnae, 5.VI.1561.*

*Eustachius Wołłowicz, marsalcus curiae M.D.L.,*
*Alberto in Prussia duci*
*de Revaliensibus in clientelam regis Sueciae transeuntibus; de duce Wiśniowiecki*

*Sigill.*

*H B A, B 2, K.392.*

Illustrissime Princeps *etc.*

Etsi nihil mihi erat, quod Illustrissimae Celsitudini Vestrae literis meis communicare deberem, tamen quoniam iucundissima epistola illius provocatus sum, qua de novis Illustrissima Celsitudo Vestra me admonitum voluit, hunc tabellionem absque diploma meo mitendum non opere pretium duxi. Novarum igitur hic fortasse nil est, quae iam Illustrissimam Celsitudinem Vestram celarent, praesertim cum neminem fere fugit Revalienses, inconstantia quadam motos, qui post paucorum militum pedestrium Sacrae Regiae Maiestatis, Domini nostri clementissimi, susceptionem plures, tam equites quam pedestres, quos iam ad subsidium et defensionem Revaliae ablegandos illa decreverat, intromittere recusarunt, nunc tandem clientellae Regis Swetiae se subdendo eius milites susceperunt, arce tamen nondum ab eisdem obsessa. Ex hoc proposito illorum quid sperandum, facilis coniectura. Nedum enim alienis, sed ne sibi eos fidere constat.

Moschovitarum copias nondum in Livonia esse auditur. Certum tamen est eos in finibus Livoniae colligi. De Duce vero Visniovieczki,[1] quis exitus rerum eius sit, quod Illustrissima Celsitudo Vestra quaerit, de eo eadem

fama, quae et ante superioribus literis meis Illustrissimae Celsitudini Vestrae relata est, quod scilicet Moschus ad capiendum eum miserit. In quo autem statu res eius fuerint et ubi periclitetur, incertum adhuc est. Sed cum aliquid novi de eo ad me venerit, non Illustrissimae Celsitudini Vestrae literis meis significare negligam... Datum Vilnae, V die Iunii, anno Domini MDLXI.

Eiusdem Illustrissimae Celsitudinis Vestrae
addictissimus servitor
Eustachius Wolovicz etc.

1) *Demetrius.*

*N. 1812.*

*Wiewiórka, 13.VI.1561.*

*Ioannes Christophorus Tarnowski, castellanus Wojnicensis,*
*Alberto in Prussia duci*
*per Nicolaum Sokołowski, servitorem suum, ducem certiorem facit de morte patris sui [Ioannis, castellani Cracoviensis] eumque ad funus 18.VIII. Tarnoviae celebrandum invitat.*

*Sigill. Autogr.*

*H B A, B 2, K.392.*

*N. 1813.*

*Goluchoviae, 20.VI.1561.*

*Raphael Leszczyński, capitaneus Radziejoviensis,*
*Alberto in Prussia duci*
*privilegium super bona castri Soldaviensis lingua latina exaratum habere cupit; de conventu ducis cum palatino Vilnensi [Nicolao Radziwiłł] certior fieri desiderat.*

*Sigill.*

*H B A, B 2, K.392.*

... Illustrissime Princeps *etc.*

Accepi his diebus a Magnifico viro, Domino Palatino Marieburgensi,[1] scripto comprehensum privilegium super bona Zoldaviensis castri, cuius tenorem bene intellexi, ac omnibus eius appendicibus diligenter excussis, paucis aliquot locis notatis, alia omnia ea, qua debui gratitudine animi, acceptavi et accepto ac pro ratis certissimisque manere cupio, sicut de his omnibus, Deo dante, cum ad Illustrissimam Celsitudinem Vestram ipse venero, explicare me coram paratus sum. Constitui enim per Ducatum Celsitudinis Vestrae in Livoniam proficisci ad eam, quam Regiae Maiestati, Domino meo clementissimo, operam praestiturus sum. Quam ob rem etiam atque etiam rogo, ut Vestra Celsitudo mihi certum diem, quo Sua Regia Maiestas equum conscensura sit, significare non gravetur. Quod ut sciam statim, mea plurimum interest, cursori pro fatiga ipse satisfacturus sum.

Postremo de instituto conventu Vestrae Celsitudinis cum Illustri Palatino Vilnensi, futurus sit necne, an vero iam finitus sit, itidem peto humiliter a Vestra Celsitudine certior reddi. Caeterum gratum mihi foret, si praesens privilegium literis Latinis conscriptum mihi exhiberetur. Sed haec arbitrio Vestrae Illustrissimae Celsitudinis relinquo. Haec in praesentia Vestrae Celsitudini significanda duxi, quae omnia pro clementissima voluntate erga me, servitorem suum, boni consulere dignetur. Interim Deum Patrem Domini nostri Iesu Christi oro, ut Vestram Celsitudinem sua divina bonitate et virtute complecti ac in omnibus benedicere velit. Datum ex Goluchowo, 20 Iunii, anno Domini 1561.

Vestrae Illustrissimae Celsitudinis addictissimus
[a] servitor
Raphael a Leschno, Radzeowiyensis Capitaneus,
manu propria.[b]

a)-b) *manu propria.*
1) *Achatius Czema.*

*N. 1814.*

*Vilnae, 21.VI.1561.*

*Nicolaus Łaski, capitaneus Crasnostaviensis,*
*Alberto in Prussia duci*
*pro oratore et muneribus, quibus dux solemnitates nuptiarum suarum (cum Sophia Śmigielska) cohonestare voluit, gratias agit servitiaque sua offert.*

*Sigill.*

*H B A, B 2, K.392.*

*N. 1815.*

*Vilnae, 22.VI.1561.*

*Nicolaus Radziwiłł, palatinus Vilnensis,*
*Alberto in Prussia duci*
*de dictionario latino-polonico Regiomonti imprimendo; de contractu, inter auctorem, Ioannem Mączyński, typographum, Ioannem Daubmann (in ms. Taubman), et correctorem, Hieronymum Malecium, inito.*

*Sigill.*

*(Annexum cum sigillo: Litterae universales de eadem re)*

*H B A, B 2, K.392.*

Illustrissime et Excellentissime Princeps *etc.*

Quae Illustrissima Celsitudo Vestra ad Sacram Regiam Maiestatem et ad me perscribere dignata est de utili opere excudendo, Latino-Germanico et Polonico Dictionario, quod Venerabilis vir, Dominus Hyeronimus Malecius, verbi Dei minister, prae manibus habeat, deque privilegio apud Maiestatem Regiam obtinendo et de non recudendo eo opere intra certum annorum spatium, in eo equidem, quemadmodum in reliquis rebus omnibus, libenter morem [a] gessissem Illustrissimae Celsitudini Vestrae, verum

celare Illustrissimam Celsitudinem Vestram non debeo eiusmodi privilegium, et multo etiam in largiori forma, pro se et haeredibus suis obtinuisse Generosum Ioannem Mączinsky, secretarium meum, qui tale dictionarium ante quattuordecim annos, in studiis litterarum adhuc in Germania versando, partim ex Latino-Germanicis Petri Dasipodii et Ioannis Frisii Tigurini, partim ex Latino-Gallicis, tum etiam ex Thesauro Linguae Latinae, compilavit et extremam manum operi iam dudum imposuit. Quem librum Sacra Regia Maiestas et fere tota aula hic vidit, et qui exercitatos sensus in re literaria habent, affirmant non inutilem eum navasse rei literariae operam.

At recte factum est, quod et typographus Illustrissimae Celsitudinis Vestrae Regiomontanus, Taubman,[z] et ipse Dominus Hieronimus Malecius hic adfuerunt. Cum quibus de imprimendo libro ipse Ioannes Maczinsky, secretarius meus, transegit, idque sub ratihabitione approbationeque eiusdem Illustrissimae Celsitudinis Vestrae. Quem contractum[b] hic inclusum ad Celsitudinem Vestram Illustrissimam mitto, et cum illum approbari, tum et ipsi typographo Taubman ex auctoritate Illustrissimae Celsitudinis Vestrae serio demandari[c] postulo, ut in excudendo libro sedulam et diligentem navet operam, non extrahat tempus, nec moras non necessarias nectat. Ac mittit una et librum ipse Ioannes Maczinsky, quem Dominus Hieronimus Malecius Illustrissimae Celsitudini Vestrae exhibebit. Opus iuste magnitudinis, cui etiam adhuc multum accedet ex contrario Dictionario Polonico et Germanico-Latino, quod idem Dominus Hieronimus ex hoc ipso Dictionario intra corrigendum colligere et ad calcem operis adiicere debet.

Quae res, tametsi satis per se favorabilis est et publicis scholarum usibus destinata, multum profuerit nostrae iuventuti per initia sese ad litteras applicanti, tamen hoc impressionis negotium in gratiam eiusdem secretarii mei Illustrissimae Celsitudini Vestrae commendandum esse duxi ac una petendum, ut contractum hunc per Illustrissimam Celsitudinem Vestram approbandum eidem secretario meo ex Cancellaria sua in autentica forma[d] extradere iubeat. Etsi non est alienum a speciali gratia et favore eiusdem Illustrissimae Celsitudinis Vestrae, dignetur eo modo huic secretario meo de non recudendo[e] eo opere intra Illustrissimae Celsitudinis Vestrae ditiones cavere, quemadmodum illi et Sacra Regia Maiestas cavere dignata est. Cuius exemplum Illustrissimae Celsitudini Vestrae Dominus Malecius exhibebit. Quod genus clementiae et benignitatis si in hunc servitorem meum collocare dignabitur, habebit et remuneratorem Deum in coelis et hunc sibi ad perpetuam nominis sui observantiam, venerationem et servitutem arctissime devinxerit... Datae Vilnae, XXII Iunii, anno Domini MDLXI.

Illustrissimae Celsitudinis Vestrae
[f] servitor
Nicolaus Radzyvyl etc. subscripsit.[g]

a) *in ms.* moram
b) *in margine alia manu:* 1. Approbatio contractus
c) *in margine alia manu:* 2. Mandatum de excudendo
d) *in margine alia manu:* 3. Approbationis autenticum
e) *in margine alia manu:* 4. Privilegium de non recudendo
f)-g) *manu propria.*
z) *sic in ms.*

*Annexum (cum sigillo): Contractus inter auctorem dictionarii Ioannem Mączyński, typographum Ioannem Daubmann et correctorem Hieronymum Malecium.*

Nicolaus Radziwil, Dei gratia in Olyka et Niesswiessh Dux, Palatinus Vilnensis, Magni Ducatus Lithuaniae Supremus Marschalcus et Cancellarius, Brzestensis, Kawnensis, Borissoviensis Schawlensisque Capitaneus Generalis.

Significamus praesentibus litteris nostris universis et singulis, quorum interest, quia comparentes coram nobis Generosus Ioannes Mączinsky, secretarius noster et Sacrae Regiae Maiestatis in Cancellaria Lithuanica expeditionis Latinae notarius, ex una, et Venerandus vir, Dominus Hieronimus Malecius, verbi Dei minister, necnon Famatus Dominus Ioannes Taubman, civis et typographus Regiomontanus, parte ex altera, talem inter se fecisse et inivisse contractum.

Recognoverunt, sub ratihabitione tamen et approbatione Illustrissimi Principis, Domini Domini Alberti, Dei gratia Marchionis Brandenborgensis et in Prussia, Stetiniae, Pomeraniae, Cassubarum et Vandalorum Ducis, Rugiae Principis, Burgrabii Norinbergensis, de et super Dictionario Latino-Polonico imprimendo per praefatum Ioannem Mączinsky, interpretato et collecto partim ex Dictionariis Latino-Germanicis et Latino-Gallicis Petri Dasipodii Argentinensis et Ioannis Frisii Tigurini, et aliis probatis authoribus, imprimis autem ex Thesauro Linguae Latinae collecto. Quod videlicet praefatus typographus, sumptibus eiusdem Ioannis Mączinsky, imprimendum sibi sumpsit Dictionarium eius generis, Dominus vero Hieronimus Malecius sumpsit sibi operam corrigendi praeli typographici, modis et conditionibus infrascriptis:

Primum et ante omnia ita conventum est, quod quingenta exemplaria, non plus nec minus, imprimi debent. Ad eum autem numerum exemplarium, si unum quodque exemplar trecentos arcus papiri recipiet, trecente quindecim resae pro toto opere sufficient. Unam autem quamlibet resam viginti tribus grossis Polonicis computando, papyrus constabit 241 florenos, grossos 15. Quam summam imprimis pro comparanda charta reponere debebit ipse Ioannes Mączinsky apud Spectabilem et Famatum virum, Dominum Iacobum Brandt, civem et advocatum Regiomontanum in Kneiphoff, amicum suum. Et Dominus quidem Taubman, typographus, chartam bonam eius qualitatis et quantitatis subministrabit, in quali non ita pridem Catechesim vel Confessionem Augustanam sermone Polonico impressit. Non autem aliam, nec deteriorem, tum semper aequalem, non dissimilem. Pro qua Dominus Iacobus Brandt peccuniam numerabit, chartam vero apud se in domo sua, vel alio loco commodo et opportuno, et, si fieri potest, in ipsa arce Regiomontana impetrato ad id ab Illustrissimo Domino Duce Prussiae certo concamerato loco, deponet. Quam ipsi typographo pro ratione operis erogabit subministrabitque et illud, quod impressum fuerit, ad eundem locum a typographo recipiet.

Ita autem inter partes conventum est, quod ad summum intra viginti quattuor septimanarum spatium opus hoc integrum imprimi et absolvi debet. De praecio vero et labore typographico ita inter partes conventum est, quod Domino Taubman, typographo, ab una qualibet papiri resa impressa viginti octo grossos Polonicos idem Ioannes Mączin-

sky numerabit. Quod si opus trecentas quidem resas capiet, tum merces typographi constituet ducentos quadraginta quattuor Polonicos, cuius dimidiam partem, vel saltem certam quotam, ipse Ioannes Mączinsky apud praefatum Dominum Iacobum Brandt deponet. Ipse vero typographo pro ratione operis in singulos menses peccuniam pro impressis resis ad dimidium operis numerabit. Reliquam vero praecii partem a dimidio opere, donec integrum opus absolverit, idem typographus expectabit. Correctori vero, Domino Hieronimo Malecio, tam pro victu, quam pro correctura praeli typographici, triginta quinque grossos Polonicos in singulas septimanas idem Dominus Iacobus Brandt ex peccunia Ioannis Mączinsky numerabit.

Dabit autem operam, prout hoc onus in se recepit, idem Dominus Hieronymus, corrector, ut quam diligentissime et emendatissime liber imprimatur, idque citra ullius temporis iacturam, ut intra praefinitum tempus viginti quattuor septimanarum absolvatur et elaboretur. Non solum autem correctoris munus idem Dominus Hieronymus obibit, sed et collectoris ex eodem ipso Dictionario Latino-Polonico contrarium Dictionarium Polonico-Latinum, quod ad calcem huius operis collocabit. Id etiam relictum est in arbitrio eiusdem Domini Hieronimi, correctoris et collectoris contrarii Dictionarii Polonico-Latini, si voluerit Germanicas appellationes apponere, ut una et eadem opera et Polonico-Germanicoque-Latinum ad calcem operis adiiciatur Dictionarium, tum et nomenclatura rerum omnium lingua triplici: Latina, Germanica, Polonica.

Pro ea vero opera et labore eius praefatus Ioannes Mączinsky eidem Domino Hieronymo 40 florenos Polonicos a perfectione operis numerabit, postquam aliquam partem exemplarium distrahet. Verum hoc etiam sedulo, diligenter et caute observabit Dominus Hieronymus, ne plura quam quingenta exemplaria imprimantur, neve vel unicum exemplar aut donetur aut distrahatur alicui, sed ut omnia exemplaria in solido et intẽgro ipsi Ioanni Mączinsky tradantur.

Hoc etiam inter partes conventum est, quod idem typographus imprimet ad viginti vel eo plures chartas, titulum tantum una cum initio Dictionarii continentes, idque ratione exempli seu speciminis eiusdem operis, iuxta quam illi a Ioanne Mączinsky scriptum fuerit. Quas primas chartas primo quoque tempore ad ipsum Ioannem Mączinsky mittet, opus vero impressionis et calcographiae a festo Sancti Bartholomei proxime instanti inchoabit et ad perfectionem elaborationemque operis omni studio et diligentia contendet, nec tempus frustra extrahet. Quo facto, ibidem in continenti Ioannes Mączinsky tradidit librum suum praefato Domino Hieronymo Malecio, et cum fidei illius, tum manibus eius credidit realiterque et in effectu tradidit. Tenebunt autem et observabunt partes praefatae contractum eiusmodi inter se solide, integre, sine omni fraude et dolo, sub poena quattuor millium Ungaricorum in auro veri, iusti et boni ponderis. Harum testimonio litterarum, quibus in fidem praemissorum sigillum nostrum est subimpressum et subscriptione manus nostrae corroboratum. Datum Vilne, vigesima mensis Iunii, anno Domini millesimo quingentesimo sexagesimo primo.

[a] Nicolaus Radzivil etc.
manu propria subscripsit.[b]

a)-b) *manu propria.*

N. 1816.

Vilnae, 10.VII.1561.

*Philippus Padniewski, episcopus Cracoviensis, R.P. vicecancellarius, Alberto in Prussia duci*
*studium suum promittit in iuvando et promovendo negotio Thomae Koss, a duce sibi commendato, quod cum Wolski habet, qui ei pecuniae summam debet.*

*Sine sigillo.*

*H B A, B 2, K.392.*

N. 1817.

Goluchoviae, 21.VII.1561.

*Raphael Leszczyński, capitaneus Radziejoviensis, Alberto in Prussia duci*
*accuratiores notitias de futuro conflictu bellico expetit et de voluntate regis et ducis certior fieri cupit, tum tantummodo in certamen prodire paratus, si rex et dux in bellum proficiscerentur.*

*Vest. sigilli.*

*H B A, B 2, K.392.*

Illustrissime et Clementissime Princeps *etc.*

Gravissimis negociis et curis occupatam Celsitudinem Vestram compellare me coegit summa necessitas. Cum enim pro salute Reipublicae nostrae atque patria communi pro meis viribus defendenda arma capiam, et Illustri Celsitudini Vestrae eam operam condixi, plurimis discedentibus, ego in expectatione certi alicuius nuncii, qui me de futuro conflictu et de Serenissimi Regis nostri profectione certiorem redderet, maximo taedio conficior. Peto igitur cum ea, quam debeo, reverentia et subiectione, ut quid sit expectandum, ubi Rex noster sit, ubi etiam sit Dominus Palatinus Vilnensis,[1] ad me perscribi Celsitudo Vestra iubeat, ut in itinere, quod post dies aliquot per loca imperio Celsitudinis Vestrae subiecta et ad Celsitudinem Vestram ducentia suscipio, literis suis me certiorem reddi Celsitudo Vestra demandet. Quoniam ut alias solent esse rumores belli incerti, ita hoc tempore apud nos varii sunt hominum de hoc apparatu bellico sermones, varia et iudicia. Ego autem, qui tantum pro Serenissimo Rege nostro et pro Illustri Celsitudine Vestra vitam et fortunas meas omnes expositas habeo in omne genus periculorum, nisi Potentissimus Rex noster aut Illustris Celsitudo Vestra arma capiat, pro tenuitate mea instructus prodire in certamen non velim. Pro Illustri autem Celsitudine Vestra me ipsum tradere et omnia mea profundere quovis loco et tempore sum paratissimus. Atque hoc pro certissimo am-

plector, quod a Celsitudine Vestra mihi perscribetur... Datae Goluchoviae, anno Domini 1561, Iulii die 21.

Illustrissimae Celsitudinis Vestrae
fidelissimus servitor
[a] Raphael Leschczynsky, Radzeowyensis Capythaneus,
manu propria.[b]

Magnificus Dominus Palatinus Malborgensis[2] literas et exemplum privilegii mihi dederat, quod ego rursum eidem tradidi, et optarem de voluntate Illustris Celsitudinis Vestrae fieri certior.

a)-b) *manu propria.*
1) *Nicolaus Radziwiłł « Niger ».*
2) *Achatius Czema.*

*N. 1818.*

*Goluchoviae, 28.VII.1561.*

*Raphael Leszczyński, capitaneus Radziejoviensis,*
*Alberto in Prussia duci*
*scire cupit, quo in loco sit palatinus Vilnensis [Nicolaus Radziwiłł].*
*Sigill.*
*H B A, B 2, K.392.*

Illustrissime Princeps *etc.*

Longioris expectationis pertaesus in ea rerum perturbatione et rumorum, qui de hac bellica expeditione sparguntur, varia multitudine, iam accinctus itineri, cum literas acciperem Serenissimum Regem nostrum castra non moturum Vilna, expectare diutius non potui, quin proprium famulum mitterem ad cognoscendum de eo, quid consilii sit apud eos, qui rerum potiuntur. Peto igitur cum ea, quam debeo, submissione, ut Illustris Celsitudo Vestra isti famulo meo significari iubeat, quo in loco inveniri possit Illustris Dominus Palatinus Wilnensis.[1] Velim enim, ut meus famulus, quocunque in loco sit Dominus Palatinus, ipsum conveniat. Et si in terra Livoniensi est, ut Illustris Celsitudo Vestra iter certum famulo meo conscribi demandet, reverenter oro. Sunt enim nostri viae eorum locorum ignari.

Hoc quoque maiorem in modum peto, ut ad utrasque literas, et ad illas, quas cum privilegio Dzialdoviensi misi, Illustris Celsitudo Vestra mihi rescribi et literas per cursorem certum primo quoque tempore transmitti iubeat. Quod beneficium Illustris Celsitudinis Vestrae erit mihi vehementer gratum.

Optarim etiam, si id commodum est Celsitudini Vestrae, ut reliquum pecuniae, a me pro festo Sancti Michaelis proximo numerandae, Illustris Celsitudo Vestra Dantisci accipere iubeat, sed de hac re mature mihi significari velim... Datae Goluchoviae, anno Domini 1561, Iulii die 28.

Illustris Celsitudinis Vestrae
deditissimus et fidissimus servitor
[a] Raphael Leschczynsky, Radzeowyensis
Capitaneus, manu propria.[b]

a)-b) *manu propria.*
1) *Nicolaus Radziwiłł « Niger ».*

N. 1819.

Vilnae, 9.VIII.1561.

*Eustachius Wołłowicz, marsalcus curiae M.D.L., Alberto in Prussia duci de sorte ducis Wiśniowiecki, ad Moschos profugi.*

*Sigill.*

*H B A, B 2, K.392.*

Illustrissime Princeps *etc.*

Memini Illustrissimam Celsitudinem Vestram literis suis me provocasse, ut, quem exitum res profugi Ducis Wisnievieczki [1] sortita sit, eandem certiorem redderem. Nunc itaque. quod certum ad noticiam meam de eo pervenit, Illustrissimae Celsitudini Vestrae hisce literis significandum opere pretium duxi. Wisniovieczki videlicet tam propius ad suos ad fluvium Nieprz [2] actessisse, sed id quo animo ductus fecerit, non facile intellectu. Verum hoc certum est, quoniam sapiditate patriae (cuius locus dulcis est) motus illi appropinquatur. Post quid rerum facturus. certiorem facere Illustrissimam Celsitudinem Vestram non praetermittam... Datum Vilnae, IX die mensis Augusti, anno Domini MDLXI.

Eiusdem Illustrissimae Celsitudinis Vestrae
addictissimus servitor
Eustachius Wolovicz, Marschalcus Curiae,
Thesaurarius terrestris,
Notarius Sacrae Regiae Maiestatis.

1) *Demetrius.*
2) *scil. Dniepr (Boristhenes).*

N. 1820.

Vilnae, 9.VIII.1561.

*Philippus Padniewski, episcopus Cracoviensis, R.P. vicecancellarius, Alberto in Prussia duci de galeis a duce palatino Valachiae missis, Leopoli interceptis, opera sua a rege dimitti iussis.*

*Sigill.*

*H B A, B 2, K.392.*

Illustrissime Princeps *etc.*

Cum proxime apud Regiam Maiestatem per nuntium suum Palatinus Valachiae [1] egisset, ut Maiestas eius galeas, quas ipsi Illustrissima Celsitudo Vestra miserat, et quae Leopoli a Praefecto civitatis interceptae fuerunt, libere dimitti iuberet, lubens me non tam Palatini causa, quam Illustrissimae Celsitudinis Vestrae, pro mea scilicet in illam observantia et studio, ut dimitterentur, interposui. Ac sane a principio Regia Maiestas de eis dimittendis recusarat, idque tum propter aedictum publicum,

quo cautum est, ne ad illas regiones ullarum rerum, quae ad eas armandas pertinerent, exportatio esset, tum quod Palatinus quoque Valachiae in ditione sua omnium pene rerum importationem in Regnum Maiestatis eius interdixerit, deinde tamen Maiestas illius, gratificari Illustrissimae Celsitudini Vestrae cupiens, assensa in praesens de earum dimissione est, ut tamen in posterum nulla earum rerum exportatio esset, providit. Quod porro studium meum ea in re agenda extitit, idem cunctis in aliis, quas vel ad dignitatem vel ad commodum Illustrissimae Celsitudinis Vestrae pertinere existimabo, semper extabit curaeque mihi erit, ut Illustrissima Celsitudo Vestra nullum erga se studii officiique munus praetermissum unquam a me intelligat... Datum Vilnae, IX Augusti, anno Domini MDLXI.

[a] Illustrissimae Dominationis Vestrae
obsequentissimus servitor
Philippus Padniewski, Episcopus Cracoviensis
et Vicecancellarius subscripsit.[b]

a)-b) *manu propria.*
1) *hic agitur de palatino Moldaviae, Alexandro Lapušneanu.*

*N. 1821.*

*Tarnoviae, 20.VIII.1561.*

*Ioannes Christophorus Tarnowski, castellanus Wojnicensis,*
*Alberto in Prussia duci*
*gratias agit pro eo, quod dux funus patris sui [Ioannis Tarnowski, castellani Cracoviensis], misso consiliario suo, Venceslao Schack a Stangenberg, cohonestare voluit.*

*Sigill.*

*H B A, B 2, K.392.*

*N. 1822.*

*Tarnoviae, 21.VIII.1561.*

*Ioannes Christophorus Tarnowski, castellanus Wojnicensis,*
*Alberto in Prussia duci*
*memor benevolentiae, qua dux defunctum parentem suum prosequebatur, Nicolaum Gorzowski, litterarum latorem, commendat, ut in numerum servitorum ducis recipiatur.*

*Sigill.*

*H B A, B 2, K.392.*

N. 1823.

Bieżuń, 28.VIII.1561.

*Elisabetha de Sieprc Brudzewska, palatina Lanciciensis,*
*Alberto in Prussia duci*
*iterum de lite sua cum Alberto Finck (vel Fincka), iudice Olstinensi, de bonis hereditariis Mielno habita, rogat, ut dux doctorem Lucam ad futura iudicia terrestria (vel colloquia iudicialia) mittere velit, ut eo facilius causa sua et sororis suae, Ursulae de Sieprc Lwowska, optatum sortiatur effectum.*

*Sigill.*

*H B A, B 2, K.392.*

N. 1824.

Łowicz, 6.IX.1561.

*Ioannes Przerembski, archiepiscopus Gnesnensis, R.P. primas,*
*Alberto in Prussia duci*
*binas litteras ducis se accepisse nuntiat, alteras de negotio Valentini Stoll tractantes (ut ei tertia pars hereditatis a demortua sorore relictae concedatur), alteras in causa cuiusdam pueri profugi, ducis subditi, ut, si in aula archiepiscopali inventus fuerit, extradatur; ad primas respondet hoc tempore nihil se statuere posse de dicta hereditate absente eo, qui illam nunc possidet, ad alteras significat dictum puerum in aula sua, diligenti inquisitione facta, repertum non esse.*

*Sigill.*

*H B A, B 2, K.392.*

N. 1825.

Cracoviae, 13.IX.1561.

*Ioannes Boner de Balice, castellanus Biecensis,*
*Alberto in Prussia duci*
*mittit aliqua nova ex Italia, de Concilio Tridentino, de peste in Austria grassante, de imperatore Pragam profecturo, de bona valetudine Romani pontificis, de fame in Austria et Hungaria ob nimiam siccitatem exspectata.*
*(Cum schedula agglutinata)*

*Vest. sigilli.*

*H B A, B 2, K.392.*

Illustrissime Princeps *etc.*
Illustrissime Princeps.

Petieram anno praeterito ab Illustrissima Celsitudine Vestra, ut ex mandato illius pastores ovium ditionis Illustrissimae Celsitudinis Vestrae aliquam summam ovium venderent servitori meo. Nam Magnificus Dominus Achacius Czema, Palatinus Mariemburgensis, id mihi consilii dederat, me id facilius assequi posse, sciente mandanteque Illustrissima Celsitudine Vestra id pastoribus suis. Sed quia tum erat iam tempus tardius, reiecit Illustrissima Celsitudo Vestra hoc negocium in hunc

praesentem annum. Ad quam nunc mitto summeque peto, ut mihi eiusmodi oves suis pastoribus vendendas mandet.

Novarum rerum quid illi scribam, nihil est. Ex Italia plane nihil auditur. Consilium [z] Tridentinum quotidie vilescit. Pontifex Romanus,[1] facta occasione voluisse se celebrare Consilium, putat se iam toto functum negocio. Qui alioquin bona constitutus valetudine, praeter consuetudinem aliorum Pontificum, qui decrepiti ad hoc munus evehebantur, vixque aliquot statis temporibus solennibus anni, sella insidentes, efferebantur humeris hominum. Iste contra, quotidie mula vectus totam discurrit per Urbem.

Caesaream Maiestatem XV Septembris e Vienna, ubi pestis coepit grassari, Pragam profecturum certo affirmant, satis valetudinarium. Indeque, si per eam ipsam valetudinem licebit, Wratislaviam iturum. Deinde in Februario certo celebraturum Comicia Imperii. In fine Augusti venit Viennam ille, qui se Magistrum Prussiae [2] nominat. Non dubitatur, quin sit aliquid novi tractaturus occasione Prussiae vel Livoniae.

In Ungaria omnia quieta, praeterquam quod exercicii causa invicem stratagemmata edunt, nolunt enim omnino bellandi oblivisci artem, sed more Lacedaemoniorum furto gaudent, dum invicem oppida, arces vel personas aliquas insignes furto capiunt. Neque id foederi fraudi esse potest, modo astute et militariter factum sit, neque aliter deprehendatur, nisi iam factum fuerit. Et ecce sive inde arrepta occasione, sive sic erat in fatis, Illustrissimae Celsitudinis Vestrae aliquando servitor et cliens, Despotas ille,[3] suffragante illi Caesarea Maiestate, coligit [z] non contemnendam manum militum, cum qua, ut plerique arbitrantur, invasurus est Valachiam, si fortasse posset Alexandrum [4] illius exuere dominio, procul dubio attentaturus.

Vini ingens inauditaque copia erupit in vineis Hungaricis. Sed quia propter praeteritam hyemem longiusculam tardius pululavit, et nunc citius, quam sperabatur, frigora supervenerunt, propterea vix futurum bonae frugis existimatur. Sed ne Illustrissimae Celsitudini Vestrae sim molestior, addito hoc ridiculo, scribendi finem faciam. Summi Pontificis Legatus,[5] qui hic Cracoviae agit, retulit cuidam suo amico non sperandum esse quicquam boni ex Consilio Tridentino, cum hoc nomen sit odiosum et ominosum. Trenth enim significare lingua Germanica [a] aliquid compactum dissolvere, id est czurtrennen. Propterea Caesaream Maiestatem scripsisse Summo Pontifici et interpretatum esse vim huius vocabuli. Neque se posse sperare in hoc Consilio effici aliquid boni, cum superfuturi sunt quam plurimi, qui propter hoc omen verbi acta istius Synodi sint disrupturi atque perturbaturi...

Datum Cracoviae, die XIIIa mensis Septembris, anno Domini MDLXI.

[b] Illustrissime Celsitudinis Vestre
deditissimus servitor
Ioannes Bonar de Balicze,
Castellanus Bieczensis,
manu propria.[c]

a) *verba:* lingua Germanica *in margine addita.*

b)-c) *manu propria.*

z) *sic in ms.*

1) *Pius IV.*

2) *Volfgangus Schutzbar.*

3) *Iacobus Heraclides Basilicus.*

4) *Alexander Lapušneanu.*

5) *Bernardus Bongiovanni ep. Camerini.*

*Schedula adiuncta (agglutinata):*

Per totam Austriam et Hungariam ob nimiam siccitatem, quae fuit hoc anno, cum nec frumenta nec pabula crescere potuerunt, expectatur ingens fames. Inter Turcas etiam pestis vigere coepit, qui etiam timentes famem, omnibus tributariis christianis, loco tributi pecunia dari soliti, iusserunt frumenta parari.

*N. 1826.*

*Vilnae, 22.IX.1561.*

*Philippus Padniewski, episcopus Cracoviensis, R.P. vicecancellarius, Alberto in Prussia duci*
*de omnibus iis, quae sibi per palatinum Marienburgensem [Achatium Czema] ducis nomine exposita essent, se cum rege diligenter egisse nuntiat et per eundem palatinum nunc ad ea responsum transmittere.*

*Sigill.*

*H B A, B 2, K.392.*

*N. 1827.*

*Gedani, 30.IX.1561.*

*Raphael Leszczyński, capitaneus Radziejoviensis, Alberto in Prussia duci*
*reliquum pecuniae pro castro Soldaviensi duci a se numerandae Gedani se apud Ioachimum Lismann reliquisse.*

*Sigill.*

*H B A, B 2, K.392.*

*N. 1828.*

*Ostroróg, 27.X.1561.*

*Iacobus Ostroróg*
*Alberto in Prussia duci*
*pro litteris et munere, a* « tanto christiano Principe, puram doctrinam Iesu Christi amplectente », *sibi missis, gratias agit.*

*Sigill.*

*H B A, B 2, K.392.*

*N. 1829.*

*Tomice, 30.X.1561.*

*Ioannes Tomicki, castellanus Rogosnensis,*
*Alberto in Prussia duci*
*pro litteris donisque munificis sibi missis gratias agit parataque servitia sua offert.*

*Sigill.*

*H B A, B 2, K.392.*

N. 1830.

*Grodzisko, 1.XI.1561.*

*Hieronymus Młodawski, capitaneus Grodiscensis, ad notitiam Alberti in Prussia ducis recognitio de duobus falconibus sibi per Henricum Hermann, pro Stanislao Ostroróg missis.*

*Sigill.*

*H B A, B 2, K.392.*

N. 1831.

*Cracoviae, 8.XII.1561.*

*Ioannes Boner de Balice, castellanus Biecensis, Alberto in Prussia duci pro ovibus sibi venditis gratias agit, aliqua nova scribit.*

*Sigill.*

*H B A, B 2, K.392.*

Illustrissime Princeps *etc.*

Summas et quam maximas possum Illustrissimae Celsitudini Vestrae gratias ago, quod dignata sit committere, ut oves a me expetitae mihi sint venditae. Reliquum autem precium tradidi in manus praesentium ostensoris, servitoris Illustrissimae Celsitudinis Vestrae. Nam vina hoc anno non admodum foelicem successum habuerunt. Proinde non erat quicquam nobilioris crescentiae vini, quae Illustrissimae Celsitudini Vestrae mittere digna illius palatui potuissent. Nam etsi nunc praeseferunt quandam dulcedinem, timendum tamen est, ne cito acerbiora fiant.

Novarum rerum, quae hinc scribam, nihil est. Nam quae in Gallia fiunt, ea certiora Illustrissima Celsitudo Vestra, priusquam hic apud nos, scire potest. In Hungaria omnia quieta et tranquilla. Quod vero Despotam[1] attinet, allatus est hic rumor illum Palatinum Valachiae[2] profligasse atque caepisse vivum potitumque Imperii Valachici, prodentibus ipsis Valachis priorem suum Dominum...

Datum Cracoviae, die VIII Decembris, anno Domini MDLXI.

Illustrissimae Celsitudinis Vestrae
paratissimus servitor
Ioannes Bonar de Balicze,
Castellanus Bieczensis.

1) *Iacobus Heraclides Basilicus.*
2) *hic agitur de palatino Moldaviae, Alexandro Lapušneanu.*

N. 1832.

*Łomża, 22.XII.1561.*

*Philippus Padniewski, episcopus Cracoviensis, R.P. vicecancellarius, Alberto in Prussia duci mittit commissionem* « Regiae Maiestatis ad controversiam finium inter Dominos Kostkowie et nonnullos subditos » *ducis decidendam.*

*Sigill.*

*H B A, B 2, K.392.*

# 1562

*N. 1833.*

*Vilnae, 7.I.1562.*

*Nicolaus Radziwiłł, palatinus Vilnensis,*
*Alberto in Prussia duci*
*de oppignoratione praefecturae Iurborgensis; de arce Cremona in Livonia a notario capituli Rigensis, Ioanne Collerio, in damnum archiepiscopi Rigensis, Gulielmi marchionis Brandenburgensis, occupata.*

*Sigill.*

*H B A, B 2, K.393.*

Illustrissime et Excellentissime Princeps *etc.*

Simul atque mihi relatum esset diploma oppignorationis praefecturae Iurborcensis a Sacra Regia Maiestate ex Lomsa, intermittere nolui, quin mox hoc ipsum diploma ad Illustrissimam Celsitudinem Vestram mitterem, quemadmodum per praesentium exhibitorem en mitto. Caeterum etsi minime dubito Reverendissimum et Illustrissimum Dominum Archiepiscopum Rigensem [1] ad Celsitudinem Vestram detulisse, quomodo Magister Ioannes Collerius, Capituli Rigensis notarius, arcem Cremonam parum convenientibus practicis invaserit, occupaverit et eiecerit inde Illustrissimi Domini Ducis Christopheri famulicium. Tum quomodo ad eam rem mandatum capitularium Domini Kunheimi, Praepositi, et Domini Iacobi Mock, Decani, praetexuerit et sparserit publicum rumorem, quicquid horum inceptaret, consensu et approbatione speciali Maiestatis Regiae se facere. Quam rem Reverendissimus Dominus Archiepiscopus, uti merito debet, indignissime fert. Scripsit enim ea de re ad me litteras, ex quibus magnum animi dolorem et acerbitatem Suae Celsitudinis perspicio. Et quantum quidem ad consensum Maiestatis Regiae attinet, omnino vanum et commenticium est. Tametsi enim praefati capitulares humiliter de eo supplicarint Maiestati Regiae, tanquam Archidiocesis et Capituli Rigensis protectori, et iam ex professa subiectione totius Livoniae Domino, ut eorum bona capitularia mandato Maiestatis Regiae certis aliquibus viis et rationibus illis restituerentur, tamen Maiestas eius Regia eam postulationem capitularium in medio reliquit et saltim se intercessione usuram esse pro capitularibus apud Reverendissimum Dominum Archiepiscopum pollicita est, quemadmodum et intercessit.

Sed de invadenda et occupanda arce ne verbum quidem, multo minus de consensu apud Maiestatem Regiam super ea re impetrando fecerunt. Nam si etiam fecissent, nihil horum prorsus obtinerent. Quando-

quidem Maiestas eius Regia nedum alienas, sed nec etiam suas proprias causas et iniurias nisi iure, lege et iudicio mediante persequi et amissas possessiones recuperare solet. Ipsi etiam capitulares, Dominus Kunheimus et Dominus Decanus, constanter negant se tale aliquid in mandatis Magistro Collerio dedisse. Fecit igitur propria temeritate et audacia, inscia Maiestate Regia, inconsultis capitularibus. Quam rem ad Maiestatem Regiam diligentissime detuli, dolorem et indignitatem Reverendissimi Domini Archiepiscopi et Illustrissimi Domini Coadiutoris explicavi, et quid porro in ea re statuendum censeat, restituendam-ne Illustrissimo Domino Coadiutori arcem vel sequestrandam, mandatum et informationem ab eius Maiestate expecto. Et ipse quidem propediem iter in Livoniam ad civitatem Rigensem ingredior. Maiestas vero Regia ad quindecimam Ianuarii Lomsa discessura est, huc vero Vilnam ad vigesimam septimam eiusdem mensis ingressura, ne scilicet haec Respublica, paterna et haereditaria bona Maiestatis eius, tum et vicina Livonia, expirantibus cum Duce Moschorum foederibus, aliquid detrimenti capiat.

Quam ad rem inter caetera, quemadmodum ante postulavi, ita et nunc qua possum maiori et accuratiori diligentia postulo, ut me certiorem reddat, an Celsitudini Vestrae Illustrissimae constitutum sit oppignorationem praefecturae Polangen acceptare et in usus belli summam pecuniarum pro ratione reddituum Maiestati Regiae numerare. Id enim ut quam primo quoque tempore fiat, rationes thesauri regii, quod sine modo exhauritur, et suscepta defensio Livoniae requirit... Datae Vilnae, septima mensis Ianuarii, anno Domini MDLXII.

Illustrissimae Celsitudinis Vestrae
[a] servitor
Nicolaus Radzyvyl etc. subscripsit.[b]

a)-b) *manu propria.*
1) *Gulielmus marchio Brandenburgensis.*

*N. 1834.*

*Polociae, 16.I.1562.*

*Stanislaus Dowojna, palatinus Polocensis,*
*Gabrieli Tarło, castellano Radomiensi,*
*de incertis motibus exercitus Moscovitici; de Tartaris in Moscoviam excurrentibus; de fuga ex Moscovia ducis Bielski.*

*Vest. sigill.*
*(Adest versio germanica)*
*H B A, B 2, K.393.*

Vielmoznii Panie a Prziiaczieliu mnie vielcze Laskavii, zdrowia ii czo k niemu naliezii W.M., swemu milemu prziiaczieliowi, iako brathu wiernie ziicze etc.

Za nawiedzenie ii za nowinii W.M. barzo dziekuie. Ia tesz W. Mczi pewniich pisacz nie mam, ieno tho, ze iusch woiisko Moskiewskie uczichlo, ani sliichacz pewnie, gdziebii sie obroczicz mialo, abo pod Kiiow, abo do Iflianth, thilko na iednem mieisczu lezii: iedno przii Kniaziu Vielikiem,[1] a drugie na Mozaiiskich polach. Ale ako mi Iego M. Pan Voiewoda Vilienski ii Iego M. Pan Ostaffiei pisali, ze Tatarowie na Moskwe pewnie posli, tedii sie ia spodziewam, ze sie tham przecziwko Tatarom riichliei obrocza, a nam dadza pokoii. Wschakosz iisch iusch wsistki kupcze ii

Ormianii wiignano z ziemie Moskiewskiei, miedzii ktoremi ia tesch mam tham swe spiegi; ktorzii gdii prziida, a czo s nich wiirozumiem, nie omieskam W. Mczi dacz znacz.

Tho tez sam sliichacz, ze Kniaz Bielski ucziekl z Moskwii, ktorego Kniaz Moskiewski, sliische, zaluie. Ieslibii ten do nas prziisedl, spodziewam sie, ze bii nie biil takim zdraiicza, iako Kniaz Visniewieczki, ktori za omieskaniem snacz glieithu, iemu od Krolia Iego Mczi danego, do Moskwii sie wrocziil. A wschakze slische, iest w vielkiei nienawisczi ii nielascze u Kniazia Moskiewskiego, za slusna iego samego prziicziina. W them czasie spodziewam sie u siebie biicz posla Woiewodii Voloskiego, Alexandra, ktorii biil do Kniazia Moskiewskiego od Voiewodi Woloskiego iachal; s ktorego sie dowiedziawssii o wssistkiem pewneii rzeczii, rad W. Mczi oznaimie.

A ia thesz prosche, abii W.M. o pewnem prziiazdzie ii dniu, kiedi Krol Iego M. prziiedzie, ii o iinsiich nowinach, ktore będą u dworu, przesz tego mego poslancza racziil dacz znacz. A na ten czass prosche, abiich z dawneii prziiazni W.M. przepominan nie biil, ktorei sie pilnie zalieczam. Dan w Poloczku, dnia XVI stiicznia roku 1562.

W. Mczi powolnii prziiacziel
Stanislaw Dowoiino
Woiewoda Poloczki.

1) *Ioannes IV Basilides.*

*N. 1835.*

*Łomża, 17.I.1562.*

*Nicolaus Sieniawski, palatinus Russiae,*
*Alberto in Prussia duci*
*de rerum statu in Moldavia refert; nepotem suum commendat.*

*Sigill. Autogr.*

*H B A, B 2, K.393.*

Serenissime Princeps *etc.*

Et quia Tua Serenitas Illustrissima ex gratia sua opulentissima me litteris suis nunquam obliviscitur, Tue Serenitati Illustrissime gratiam habeo et, quod maius est, quod Tua Serenitas Illustrissima me pignoribus liberalibus donat in deffensionem christianorum, subditorum Sacre Maiestatis Regie, Domini nostri clementissimi, ad regiones has, que sunt contigua [z)] inimicis Domini nostri, hanc gratiam Tue Serenitatis Illustrissime reservire conabor, et Deus Omnipotens ex misericordia sua erit retributor Tue Serenitati Illustrissime, tamen rogo Tuam Illustrissimam Serenitatem, ut Serenitas Tua Illustrissima in nostris regionibus utere [z)] dignetur servitiis meis.

Id ettiam signifficatum habeo Tue Serenitati Illustrissime, quia Despotas,[1)] habendo quinque milia equitum et peditum, in terram Moldaviensem ingressus, expullit Alexandrum Pallatinum Moldaviae ad Turcam et provinciam occupavit. Inter quos qualis erat conflictus congresioque,[z)] Tua Serenitas Illustrissima intelliget ex servitore Tue Illustrissime Serenitatis, Domino Marcello Konarski. Nos latet, si Cesar Turcarum Despotem sustinebit, sed ettiam et Alexandrum Pallatinum ferme Deus corexit propter eius tirannidem, que faciebat in subditos suos, et contra Serenitatem Tuam Illustrissimam non ita, ut decuit, se conservavit, quia ipsas res, que erant illi misse a Tua Serenitate Illustrissima, nolluit ita

suscipere, ut erat animus Tue Serenitatis Illustrissime, in quibus servitor Tue Serenitatis Illustrissime illi contravenire non potuit.

Serenissime Princeps, intelexi ex Domino Stanislao Ostrorog, Castellano Myedzirzeczensi, servitore Tue Illustrissime Serenitatis, amici mei,[z] magnam gratiam Tuam Illustrissimam Serenitatem contra nepotem meum ex sorore exibuisse, quam ipse solus coram me confitebatur, coram me et coram omnibus hominibus. Tamen quia sibi intelligebat commodam intercesionem[z] meam apud Tuam Serenitatem Illustrissimam, rogatum me habuit, ut eundem Tue Serenitati Illustrissime comendarem, rogando Tuam Serenitatem Illustrissimam, ut Serenitas Tua Illustrissima respectum gratiosum clementissimumque in eundem hominem dignaretur, dum annos suos cum substancia sua in servitutem Tue Illustrissime Serenitatis exposuisse non dolet nec dolebit, et hoc semper demonstrare paratus est, quod est fortis servitor Tue Serenitatis Illustrissime, Domini sui clementissimi, id pro certo habendo, quod illi et anni illius et expensa servitiaque a Tua Serenitate Illustrissima recuperabuntur. Ex quo unus ego amicus illius consolare potuissem... Datum in Lomsza, XVII mensis Ianuarii, anno 1562.

Vestre Serenitatis Illustrissime servitor
Nicolaus a Sieniava, Pallatinus Generalis
Terrarum Russie, Exercittuum Regni Campestris
Capitaneus etc.

z) *sic in ms.*
1) *Iacobus Heraclides Basilicus.*

*N. 1836.*

*Posnaniae, 1.II.1562.*

*Stanislaus Ostroróg, castellanus Międzyrzecensis,*
*Alberto in Prussia duci*
*per Iacobum a Schwerin, ducis consiliarium et amicum suum, aliquod negotium duci referendum commisit et rogat, ut ei dux hac in re credulam aurem praebeat.*

*Sigill.*

*H B A, B 2, K.393.*

*N. 1837.*

*Posnaniae, 1.II.1562.*

*Stanislaus Ostroróg, castellanus Międzyrzecensis,*
*Alberto in Prussia duci*
*de diversitate opinionum inter fautores religionis reformatae et de innovationibus ritualibus a ministro suo introductis conqueritur; multis periculis Regno, et sibi praesertim, impendentibus, equum sibi mitti petit.*

*Sigill.*

*H B A, B 2, K.393.*

Illustrissime Princeps *etc.*

Quam feliciter vera de Deo doctrina apud nostrates propagari coeperat, Illustrissima Vestra Celsitudo partim ex me, partim ex aliis cognovit. Nunc vero, pro dolor, propter diversas opinionum et caeremo-

niarum sententias, dum alius aliud sequitur, vinea Domini succiditur ac quasi deserta et inculta iacere incipit. Cum etiam, ut propius accedam, minister meus Grodecensis multas innovationes introducere conatur. Cuius rei indignitate permotus, cogam eum atque alios eiusdem farinae, ut suam sententiam scripto comprehendant. Quod cum erit factum, scripti id e vestigio ad Illustrissimam Celsitudinem Vestram mittam, etiam atque etiam rogans, ut Illustrissima Vestra Celsitudo primum hoc gloriae Dei, deinde meae erga se observantiae det et id theologis suis videndum atque etiam refutandum tradat. Ac eam refutationem suo sigillo obsignatam ad me remittat. Quanquam etiam non dubito, si opus fuerit, quin Illustrissima Celsitudo Vestra aliquem praestantem eruditione virum mihi petenti missura sit, ut huic malo in tempore succurri possit. Verum de hoc satis.

Nova apud nos nulla sunt, nisi quod magnus belli metus, multae undique impressiones, partim a Scythis, partim a Turcis, ut multa suspicari permittunt, nobis impendent propter Ducatum Moldaviae, quem Despotes [1] armata manu invasit atque sibi vendicavit. Ego (quod omen Dii avertant), si incursiones fient, propter vicinitatem locorum periculi expers non ero. Itaque me quoque rebus necessariis instruo. Cum autem hoc tempore valde imparatus sim ab equis (meos fere omnes amicis, ad expeditionem Livonicam euntibus, distribui), ab Illustrissima Vestra Celsitudine maiorem in modum peto, ut mihi quempiam, quo ipse vehi possim, mittere dignetur. Ego vicissim ad nutum Illustrissimae Vestrae Celsitudinis mea profundam omnia.

Habeo quaedam, quae cum Vestra Illustrissima Celsitudine communicata vellem, sed sunt eiusmodi, ut litteris tuto committere [z] non debeant. Verum cum, ut spero, Dominum Konarsky [2] videbo, omnia ad Illustrissimam Vestram Celsitudinem perferenda curabo. Sarembam, nepotem meum, et filium pauperis et undique oppressae viduae, uxoris olim Trepcae, Illustrissimae Celsitudini Vestrae diligenter commendo...

Data Posnania, Calendis Februarii, 1562.

[a] Vestrae Illustrissimae Celsitudinis
fidissimus servitor
Stanislaus Ostrorog manu propria
subscripsit.[b]

a)-b) *manu propria.*
z) *sic in ms.*

1) *Iacobus Heraclides Basilicus.*
2) *Marcellus.*

*N. 1838.*

*Cracoviae, 26.II.1562.*

*Ioannes Boner de Balice, castellanus Biecensis,*
*Alberto in Prussia duci*
*de motibus bellicis in Hungaria; de successibus despotae [Iacobi Heraclidis Basilici] in Moldavia.*
*Sigill.*
*H B A, B 2, K.393.*

Illustrissime Princeps *etc.*

Redditae sunt mihi ab Illustrissima Celsitudine Vestra literae, quibus postulare a me dignatur, ut servitori Illustrissimae Celsitudinis Vestrae extraderentur res variae, quas ille apud defunctum Ioannem Hegeman

servandas deposuerat. Quae omnia extradenda curavi, redditaeque sunt huic praesentium ostensori, servitori Illustrissimae Celsitudinis Vestrae.

Nova, quae hinc Illustrissimae Celsitudini Vestrae scribam, nulla sunt, praeterquam quod Regnum Hungariae maximis bellicis motibus agitatur propter deffectum Maniardi Balassii [1] et nonnullorum aliorum procerum a filio Regis Ioannis [2] ad Sacram Caesaream Maiestatem.[3] Praeterea ille Despotas,[4] qui ante aliquot septimanas ingressus fuit cum exercitu Valachiam,[z] satis foelicem successum habuit et hucusque, nemine contradicente, illic commoratur, imo, ut plurimi affirmant, brevi illi allatum iri vexillum ab Imperatore Turcarum... Datum Cracoviae, die 26 Februarii, anno Domini 1562.

Illustrissimae Celsitudinis Vestrae
servitor deditissimus
[a] Ioannes Bonar de Balicze, Castellanus
Bieczensis, manu propria.[b]

a)-b) *manu propria.*
z) *sic in ms.*
1) *Melchior Balassa.*
2) *Ioannes Sigismundus.*
3) *Ferdinandus I.*
4) *Iacobus Heraclides Basilicus.*

*N. 1839.*

*Cameneciae in Podolia, 25.[III].1562.*

*Stanislaus Lutomirski, minister verbi, secretarius regius,*
*Alberto in Prussia duci*
*de missione sua privata apud despotam Moldaviae peracta.*

*Sigill. Autogr.*

*H B A, B 2, K.393.*

Illustrissime Princeps *etc.*

Amplitudinis Tuae Illustrissimae virtus et excellens in omnes pios studium oblivisci me eius nunquam facit, passim ad omnes occasiones ipsius praedico eximias dotes, qua cumulatissime redimita est a Deo, omnium creaturarum Domino. Certe et nunc, quum essem apud magnanimum et vere Magnificum Principem, Moldaviae Despotam,[1] Celsitudinis Tuae amicum singularem, frequens et honorificentissima Illustrissimae Celsitudinis Vestrae fiebat inter nos mentio. Ad quem ego excurreram Vasslovium [2] usque, ut eum cohortarer ad pietatem veram urgendam, cuius se studiosissimum esse cultorem indicia non poenitenda vere piis viris, quum esset in Polonia, dederat. Tum ne polipragmonisi et non necessariis sese involvat ac implicet negotiis, sed ut tantum necessaria agat et vocationi suae serviat, christianorum Principes amet, colat ac observet viamque sibi sternat ad impetendam illam belluam, quae Pelleponesi claustra tenet et Mediterranei Regna Maris iure latronum et predonum occupet,[z] indiesque tentoria sua in Regnis christianorum dilatet.[z] Obtestatus sum etiam eum, ut Regi nostro, integerrimo Principi, sub cuius alis aliquot annis latuit, redderet debitam gratitudinem et observantiam.

Cohortatus sum etiam Suam Amplitudinem, ut gratitudinem debitam illis, qui officium illi prestiterunt in eo reducendo ad Regnum Moldavicum (imo pocius inducendo), redderet abunde, ne ullum locum det infamandi se ipsum illis, qui a Deo Summo ipsi concessam fortunam

invident et formidolosam habent. Admonitiones meas excepit animo Herculeo et honorificentia maxima, summo Principe digna, me prosequutus est, me, inquam, hominem peregrinum, nullis subnixum Principum literis, nedum procerum, sed ne ullius quidem praecipui nominis e nobilitate Polona viri. Ultro humanitate eius viri fretus, invitatus, quum nepotum bona prope Camenetium accessissem (quorum tutor sum, minorennium), occasionem eius accedendi Principis nolui intermittere. Ubi quum Illustrissimae Celsitudinis Vestrae mentionem audivi fieri honorificentissimam, exilui gaudio. Et occasionem ad eam scribendi praetermittere nolui, oblatam tempestive. Id unum a Tua Illustrissima Celsitudine contendens, ut me in albo suorum mancipiorum semper numeret et filio suo, Illustrissimo successori suo, commendet et de manu, ut aiunt, in manum tradat.

Professio mea non patitur me nedum cum tanti nominis Principibus, sed etiam cum infimi ordinis hominibus agere hypocritice. Absit! Faciet Deus, coeli et terrae Arbiter Summus, elucescere meam fidem in Tuam Celsitudinem eiusque prolem Illustrissimam. Reliqua Illustrissimi Moldaviae Principis cubiculi praefectus, harum literarum exhibitor, edisseret, qui testis est meorum colloquiorum, habitorum cum Domino et Principe magnanimo Moldaviae. Commendo me et mea servicia Illustrissimae Tuae Celsitudini. Plura communicabo Nunciis Celsitudinis Tuae Piotrkoviae, per Dei gratiam etc. etc.

Datum in Camenecz, Podoliae oppido, anno 1562, die 25, Camenetii.[z]

Illustrissimae Celsitudinis Tuae servus
Stanislaus Liuthomirski, verbi Dei Minister
afflictus, Secretarius Serenissimi Polonorum
Regis, subscripsit.

z) *sic in ms.*
1) *Iacobus Heraclides Basilicus.*
2) *Vaslui in Moldavia.*

*N. 1840.*

*Posnaniae, 26.III.1562.*

*Ioannes Tomicki, castellanus Rogosnensis,*
*Alberto in Prussia duci*
*sententiam ducis de suscipienda in clientelam Regni Poloniae Livonia maxime sibi probari scribit.*

*Sigill.*

*H B A, B 2, K.393.*

Illustrissime Princeps *etc.*

Redditae mihi sunt Illustrissimae Vestrae Celsitudinis litterae, quibus mihi negotium Livonicum commendare, simulque prudenter et commoda, quae ex receptione provinciae Livoniae, et itidem incommoda, quae ex amissione eiusdem ad nos redundatura sunt, si ea in potestatem hostis, tiranni Moschovitici, redacta fuerit, quasi ob oculos ponere dignatur. Etenim insignem eam Illustrissimae Vestrae Celsitudinis tam

erga Sacram Regiam Maiestatem, Dominum nostrum clementissimum, quam totum Regnum nosque omnes, voluntatem propensionemque non possum non vehementer probare. Eo enim ipso, ut vivum excellentissimumque Reipublicae huius afflictae membrum, Illustrissima Vestra Celsitudo paternum vere suum animum et affectum testatur. Quae res non nisi cognitu iucundissima gratissimaque omnibus viris bonis, Regni huius cultoribus, esse potest.

Proinde cum mihi, pro consilii quidem mei imbecillitate, deliberationes, quas Illustrissima Vestra Celsitudo de Livonia suscipienda in medium adducit, valde probentur, et ad ea Illustrissimae Vestrae Celsitudinis consilia quoque unanimis totius Maioris Poloniae tam procerum, quam nobilitatis, de recipienda in societatem Regni Livonia consensus accedat, spero fore, quod in futuris indictisque eo potissimum nomine Comitiis Regni, maxime si conditiones ineundorum foederum aeque a Livonibus propositae acceptaeque fuerint, res haec iuxta mentem sentenciamque Illustrissimae Vestrae Celsitudinis optatum finem sortiatur. Ego vero Illustrissimae Vestrae Celsitudini reverenter, quod suis benignissimis litteris ad ea studia promovenda me incitare dignatur, gratias ago.

Et quamvis ratio imbecillitatis tenuitatisque consilii mei mihi optime constet, utique tamen cum ab equestri ordine nuncii munus inter alios mihi ad indicta Comitia impositum sit, quae ad honorem et emolumentum Regni coniunctarumque provinciarum salutem spectare intellexero, ea, quantum in me erit, fideliter ac sedulo promoturus sum. Quod Illustrissimae Vestrae Celsitudini rescribendum esse duxi... Datae Posnaniae, 26 die mensis Martii, anno 62.

[a] Eiusdem Illustrissime Celsitudinis Vestre
humillimus et obsequentissimus servitor
Ioannes de Thomicze, Castellanus Rogoznensis,
subscripsit.[b]

a)-b) *manu propria.*

*N. 1841.*

*Marszewo, 28.III.1562.*

*Albertus Marszewski*
*Alberto in Prussia duci*
*sollicitudinem ducis in providendis et avertendis Regni Poloniae periculis laudat; fratres Bohemos, iam a duce exceptos, iterum ex animo commendat.*

*Sigill.*

*H B A, B 2, K.393.*

Illustrissime Princeps *etc.*

Praemissa obsequiorum meorum officiosa et submissa commendatione, ut Deus Pater Domini nostri Iesu Christi Illustrissimam Celsitudinem Tuam servet diu foelicem ac incolumem, cum eius inclyta posteritate, Spirituque Sancto suo indies magis ac magis illuminet, actendat, gubernet ac constanter obfirmet, in ipsius gloria tuenda et Ecclesiae

Christianae ac Reipublicae commodis querendis, ardentibus votis opto ac praecor.

Redditae sunt mihi litterae Illustrissimae Celsitudinis Tuae, quae mihi fuerunt multis nominibus gratissimae, tum quod sint ab eo Principe profectae, cui ego, aeque cum omnibus Christum vere colentibus, nisi plurimum me debere libens agnoscerem, facerem impie, tum quod non obscure testantes seriam Celsitudinis Tuae Illustrissimae sollicitudinem in providendis et avertendis Regni Polonici (atque ita magna ex parte Orbis Christiani) periculis ac tuenda eius dignitate, consilium dabant praesentissimum.

Cui quidem periculo ego, quamvis eadem ratione et ante redditas mihi a Celsitudine Tua litteras obviam eundum in tempore censuerim ac, pro tenuitate mea, in Comiciis nostris provincialibus (quae pro consuetudine generalia praecedere solent) dicta sententia consuluerim, tamen cum nunc Celsitudinem Tuam, Principem tanto iuditio pollentem et experientia, mihi constet non diversum sentire, eo obfirmatior sum futurus in posterum, ut, quantum in me est, aliis quoque idem persuadere coner, quandoquidem ea in re simul et ex Reipublicae commodo me facturum et Celsitudini Tuae Illustrissimae gratificaturum videam. Cuius me clementiae commendatum ita velim, ut id sibi certo polliceatur eius ac inclytae posteritatis eius dignitatis, honorum atque incolumitatis me esse perquam studiosissimum.

Quomodo enim alium gereret homo Christum colens animum erga Principem talem, qui nulli parcit periculo, nullis laboribus, nullis sumptibus, ut gloriam veram veri Dei ac Christi, Filii eius, promoveat Ecclesiamque et membra eius fidelia servet, tueatur ac foveat? Inter quos Celsitudo Tua Illustrissima non postreme nomen suum illustratum reddidit, tam clementer in ditionem suam [a] susceptis et tuitis ac liberaliter hactenus fovendis Fratribus Bohemis, per quorum piam gratitudinem longe lateque celebratur. Eos, quamvis antea satis commendatos, nunc quoque, ut confratres charissimos, Illustrissimae Celsitudinis Tuae clementiae commendo unice, simul ac me ipsum. Quidquid eorum causa Illustrissima Celsitudo Tua facit ac facere dignabitur porro, non abiturum Celsitudini Tuae a Christo Domino liberalissime non redditum sponsor sum, quandoquidem id, quod uni ex minimis eius factum fuerit, sibi factum esse confirmat, ita ut etiam aquae frigidae cyffum, in nomine Apostoli datum, non missurum se irremuneratum assumat.

Quamquam autem toti Orbi Christiano constat de Illustrissimae Celsitudinis Tuae spontanea erga omnes pios beneficentia, tamen quod per occasionem in eam commendationem Fratrum Bohemorum incidi, quorum fidei, doctrinae ac instituti integerrimi testis esse possum locuples, Illustrissima Celsitudo Tua, ut pro sua benignitate boni consulere dignaretur, submisse praecor.

Iterum atque iterum Deum Patrem Domini nostri Iesu Christi oro, ut quod in Celsitudine Tua Illustrissima operatur, ad gloriam nominis sui augeat, confirmet et perficiat. Amen.

Datae in Marshewo, 28 Marcii, anno a Christo Domino incarnato 1562.

Illustrissimae Celsitudinis Tuae
minimus servitor
Albertus Marshewski manu sua.

a) *verba:* in ditionem suam *supra lineam.*

N. 1842.

Opatówek, 29.III.1562.

*Albertus Przyjemski, nuntius terrestris palatinatus Calissiensis, Alberto in Prussia duci*

*ducem implorat, ut regem cohortetur, quo proxime futuris Comitiis Petricoviensibus in persona adesse velit.*

*Sigill.*

*H B A, B 2, K.393.*

Illustrissime Princeps *etc.*

Non solum ex literis, abs Illustritate Vestra Excelsissima ad me datis, Illustrissime Princeps, verum multo magis ex negotiis ante actis, ad quae Illustritas Vestra Regno Poloniae suis prudentissimis ac saluberrimis consiliis nunquam defuit, animum solicitum de statu huius Regni in istis temporum perturbationibus ac amore quasi paterno affectum Illustritatem Vestram perpetuo ostendisse perspexi. Quo nomine Deo Immortali a me aguntur grates et Illustritati Vestrae devinctissima studia ac obsequia demississime deferuntur.

Atqui ita est, Illustrissime Princeps, quemadmodum Illustritas Vestra scribit, Comitia Regni Poloniae Generalia in oppido Piotrcow post festum Paschatos proximum indicta esse. Quae qualem eventum sortitura sint, facile cuivis coniectari licet. Primum in Conventibus Provintialibus, qui Comitia antecesserunt, Sacram Maiestatem Regiam non omnino posse his Comitiis Regni interesse denuntiatum est. Deinde, tametsi terrae seu ora Maioris Poloniae ac provintiae ei finitimae nuntios ad proxima Comitia Regni delegerunt allegaruntque, quibus negotium datum est ac plena facultas ab equestri ordine, eas oras inhabitante, concessa de negociis in Conventibus Provincialibus per Sacram Maiestatem Regiam propositis cum Senatoribus Regni, etiam in absentia Suae Maiestatis, tractandi, nempe de Livonibus Regno Poloniae inserendis, quanam ratione et modo ad corpus Regni suscipi debeant, tum de statuendo modo et forma causas nobilitatis Polonae tam ad Comitia Regni, quam ad tribunal solius Maiestatis Regiae per appellationem devolutas iudicandi, tamen apud nos fama percrebuit et indies novus adfertur nuntius, equites Poloniae Minoris, et potissimum terram Cracoviensem, quae in praesenti pars praecipua Regni esse censenda est, nullos nuntios ad futura Comitia Regni mittendos elegisse, existimantes, quod praeter veterem consuetudinem Comitiorum Comitia haec sint indicta, quibus Maiestas Regia se adfuturum, certis impeditus negociis, non omnino promittat, praesertim cum in illis de rebus gravissimis ac maximi momenti deliberatio seu consultatio sit futura.

Optarim autem ex animo istiusmodi rumorem prorsus immutatum iri. Qui si verus est, quem Deum pro sua benignitate, oro, vanum reddat, quid aliud ex hac intestina animorum dissensione a nobis deinceps expectandum est, quam totius Reipublicae intertrimentum et pernicies? Quod malum nemo ab ea melius avertere, nemo discordiae istius civilis incendium restinguere poterit, praeter personam et authoritatem solius Maiestatis, si his Comitiis interesse dignetur. In ea enim salus omnium nostrum posita est. Quod cum ita sit, Illustritas Vestra Excelsissima, pro ea propensione animi ac sincero et vere paterno affectu, quo fertur in statum Reipublicae Polonae, proque ea authoritate, qua pollet apud Maiestatem Regiam, efficiat sedulo suo hortatu apud Serenissimum Do-

minum, Dominum Regem nostrum Poloniae et Dominum Dominum mihi clementissimum, sororinum autem suum charissimum, quo huic pesti in tempore mederi et his Comitiis interesse dignetur. Qui si in eis aderit, prout facile credo, cohortationi Illustritatis Vestrae acquiescet, omnia procul dubio in medius cedent. Maiestas enim sua pro ea authoritate, quam in administrando suo Regno habet, in futuris Comitiis cum optimatibus et Senatoribus Regni, atque etiam dignitariis illarum terrarum, a quibus nuntii non sunt missi, qui se in ea re Reipublicae sua ope non defuturos studiose pollicentur, etiam sine absentia internuntiorum illius orae, deliberationem de rebus tam arduis cum legatis, ex aliis provinciis a nobilitate missis, commode inchoare et ad bonum finem, Deo successus gubernante, perducere sine quavis difficultate poterit.

Sin autem Sua Maiestas in Comitiis, quod absit, adesse sola prorsus recusaverit, quod ut eis interesse commode dignetur, partim Illustritatis Vestrae hortatibus, partim certis rationibus ad id se adduci haud sane difficile patietur, frustra tempus consumi, frustra aliquis labor suscipi, frustra denique ab omnibus consultatio aliqua de rebus propositis, quae maximi sunt ponderis, in his Comitiis institui deberetur sine praesentia Suae Maiestatis, cum nuntii terrae Cracoviensis ad ea sint neque electi, nec missi. Ego vero, qui sum exiguae conditionis inter suos, si quid est in me ingenii aut virium, quae sentio, quam sint exigua, aut si qua ratione Reipublicae et patriae suae prodesse potuero, quam secundum Deum charam semper habui, in hoc omnes nervos suos contendam, pro rata mea parte, quam iudico esse minimam, hoc in negocio, sicuti ad me abs Illustritate Vestra Excellentissima data sunt mandata, ut Livones Regno Poloniae incorporentur et in clientelam ac protectionem ab eo optatam admittantur... Datae in Opathowek, XXIX die mensis Martii, anno Domini 1562.

[a] Eiusdem Illustrissimae Celsitudinis Vestrae
servitor
Albertus Przyemsky, Nuncius terrestris
palatinatus Calisiensis.[b]

a)-b) *manu propria.*

*N. 1843.*

*Cracoviae, 29.III.1562.*

*Ioannes Boner (Bonar) de Balice, castellanus Biecensis,*
*Alberto in Prussia duci*
*de Comitiis praesente rege celebrandis; de damnis a filio regis Ioannis caesarianis illatis; de auxiliis ei a Turcis ferendis; de incerto rumore mortis imperatoris Turcarum.*

*Sigill.*

*H B A, B 2, K.393.*

Illustrissime Princeps *etc.*

Intellexi probe, quae ad me Illustrissima Celsitudo Vestra de bello Livonico scribere dignata est, quodque illius in eo consilium et iuditium sit. Ea omnia etsi perspectissimo iuditio Celsitudo Vestra acutissime, quae necessaria et salubria fore ostendit, cum tamen eius litterae tardius ad nos perlatae sunt, nimirum duabus iam ante septimanis peractis particularibus conventibus, in quibus decretum est, absente Sacra Regia Maiestate nihil esse in hoc consulendum, neque Comitia posse Sacra

Regia Maiestate absente celebrari, quam ob rem electi sunt legati praecipui Senatores atque viri graves et prudentes, ut Lithwaniam proficiscantur, qui summis precibus, ostensa etiam urgente necessitate, Sacram Regiam Maiestatem in Poloniam perducant, ubi praesente Sua Maiestate de iis omnibus consulere libentissime volunt, nec quidquam praetermittent, quodcunque ad gloriam et autoritatem Suae Maiestatis, ad commoditatem tam Regni Poloniae, quam Ducatus Lithwaniae, tum etiam ipsius Livoniae ad salutem et tranquilitatem pertinere existimabunt. Nulla est igitur occasio nunc, per quam aliquid in hoc negotio agi possit. Postquam autem Deo propitio et Maiestas Sua aderit Comitiaque celebrabuntur Maiestate ipsius praesente, conabimur omnes, ut ea consulamus, quae pro honore, comodo et utilitate sint tam nominis, quam Regnorum Maiestatis Suae.

Nova, quae hinc scribam, nulla sunt. Nam quae ex Germania et Gallia feruntur, Illustrissima Celsitudo Vestra prius scire, quam nos hic, potest. Ungaria tota tumultuatur. Intulerat Ioannis Regis [1] filius quaedam damna Caesarianis, Caesariani iterum profligaverunt exercitum eius. Nunc denuo ex utraque parte vires reparant.

Turcae undique conveniunt in unum, volentes, ut existimatur, filio Ioannis Regis ferre auxilium cum ingenti apparatu bellico. Ex adverso etiam Caesar [2] suos et se ipsum non deserit. Praemissae enim sunt in Ungariam aliquot turmae equitum et aliquot vexilla peditum. Passim etiam per Austriam et Silesiam pedestres et equestres copiae conscribuntur.

Mors Imperatoris Turcarum [3] etiam affirmatur, quae si nondum accidit, brevissime est subsecutura. Adeo enim totus hydrope laborat, ut nulla sit spes vitae, nec obscure Principes praetorii, quos vocant Bassas, cum Aga Janczarorum et aliis, in quorum autoritate summa rerum constat, iam tumultuantur et provident, cuius novi Imperatoris inter ipsius filios auspicia sequantur...

Datum Cracoviae, die 29 Martii, 1562.

Illustrissimae Celsitudinis Vestrae
deditissimus servitor
Ioannes Bonar de Balicze, Castellanus Bieczensis,
manu propria.

1) *Ioannes Sigismundus.*
2) *Ferdinandus I.*
3) *Solimanus II.*

*N. 1844.*

*Cracoviae, 29.III.1562.*

*Stanislaus Myszkowski de Mirów, R.P. incisor,*
*Alberto in Prussia duci*
*de Livonia propter periculum Moscoviticum Regno Poloniae incorporanda; de Comitiis Petricoviensibus dissolutis et de nuntiis ad regem missis.*

*Sigill.*

*H B A, B 2, K.393.*

Illustrissime Princeps *etc.*

Accepi litteras Vestrae Illustrissimae Celsitudinis, quibus me admonere dignata est, ut in proximis Comitiis Piothrkoviensibus causam de suscipiendis et Regno Poloniae adiungendis Livonibus promoverem, osten-

dens, quantum periculi non solum ditionibus Serenissimi Regis nostri, sed toti Christianitati inde immineret, si immanissimus hostis Moschus eam provintiam in potestatem suam subiugaret. De quo periculo prae caeteris Illustrissima Celsitudo Vestra mihi constare existimat, cum iam in ea causa aliquantulum versatus sim. Fateor quidem haec ita esse omnia, sed agnosco me non tanti esse, ut in tam magnis negotiis vel iudicare possim, vel apud nostros authoritate tantum valere, ut omnes in meam sententiam pertrahere valeam. Facile enim unusquisque potest iudicare, quid ego in ea re faciendum putem, cum hiis praeteritis temporibus hoc re ipsa declaravi, magno sumptu meo et iactura valetudinis meae, ad defensionem provintiae Livonicae proficiscens et ad augendam laudem patriae, sed sunt alii, qui aliquantulum rem diligentius introspiciunt, qui iudicant nihil certe aut commodi, absente Regia Maiestate, statuere posse in tanta re, quae simul Regnum Poloniae et Ducatus Lithuaniae, Russiae, Prussiae, Mazoviae etc. attingere debet, sed potius rogant et consulunt, ut Regia Maiestas quanto citius aliam Conventionem constituat omnibus terris supra dictis, ubi etiam et ipsa Regia Maiestas intersit, et pacatis primum intestinis vulneribus, quibus Respublica affligitur, et compositis inter dominia sua (quae plurimae sunt) controversiis, tandem unanimi consensu et omnium consilio et auxilio oppressae Livoniae succurratur.

Hiis et multis aliis de causis ista Conventio Piothrcoviensis ab equitibus et nonnullis Senatoribus Minoris Poloniae dissoluta est, et ad Regiam Maiestatem Nunctii delegati, qui apud Sacram Regiam Maiestatem talem omnium terrarum Conventum deprecarentur et Suae Maiestati ut ostendatur tales particulares conventus esse periculosos, ex quibus non solum defensio firma Livonibus dubitaretur, sed et suctessu temporis dismembratio dominiorum Regno incorporatorum evenire posset. Tamen si aliquando occasio dabitur, curabo sedulo, ut id, quod mihi Vestra Illustrissima Celsitudo demandavit hisce litteris suis, pro posse meo iuvem et promoveam. Nihil enim magis opto, nisi ut id aliquando Vestrae Illustrissimae Celsitudini ipsa re demonstrare possim, quantam animi promptitudinem ad serviendum Vestrae Illustrissimae Celsitudini habeo... Cracoviae, die XXIX mensis Martii, anno Domini 1562.

Vestrae Illustrissimae Celsitudinis
[a] obsequens servitor [b]
Stanislaus Miskowsky de Myrow, Regni Poloniae Incisor,
Mariemburgensis, Rathnensis etc. Capitaneus,
[a] manu propria.[b]

a)-b) *manu propria.*

*N. 1845.*

*Koźminek, 31.III.1562.*

*Iacobus Ostroróg*
*Alberto in Prussia duci*
*de necessitate Livoniam defendendi et in protectionem Regni recipiendi.*

*Sigill.*

*H B A, B 2, K.393.*

... Illustrissime Princeps *etc.*

Quod Illustrissima Celsitudo Vestra in promovendo Livonico negotio tam diligentem operam, studium et autoritatem suam interponit, facit

id pro optimi et christianissimi Principis offitio et dignitate. Atqui utinam maturior deliberatio illorum defensionis gratia suscepta fuisset et vigilantia in illis hominibus maior extitisset, in quibus summa esse debebat, non tam afflictae res ipsorum forent, tuendae et retinendae illius provinciae minus etiam difficilis ratio fuisset, quam nunc est, cum magna pars foede direpta et avulsa est a suo corpore. Ut vero Livones (qui ad fidem et in protectionem nostram confugiunt) recipiantur et a tam immani hoste defendantur, pertinere id non solum ad salutem et dignitatem Regni et Reipublicae nostrae, verum etiam in eo sitam esse incolumitatem et pacem vicinarum christiani nominis provinciarum nemo est, qui non videat.

Quare tametsi ego exile membrum sum Reipublicae, quantum tamen in me situm est, non cessabo esse hortator et autor, ut Livones, ut qui sunt eiusdem religionis christianae homines, vicini et fratres nostri charissimi, in his praesentibus periculis ope nostra et auxiliis non destituantur. Imprimis vero opto et omnibus precibus supplex oro, ut in proximo Conventu et deliberationibus publicis consentientes animos et salutaria consilia hominibus nostris Deus concedat, in cuius ope et praesidio gerendarum rerum successus et foelicitas consistit. Quod vero Illustrissima Celsitudo Vestra me clientem suum tam clementer literis suis appellat, aliis etiam rebus benevolentiam et favorem suum declarare non intermittit, immortales gratias Illustrissimae Celsitudini Vestrae ago. Cui vicissim addictissimae mentis studium et offitia mea diligenter commendo et peto, ut illis, quandocunque libuerit, uti non dubitet... Datae Cossmincae, Martii ultima, anno Domini 1562.

[a] Illustrissimae Celsitudinis Vestrae servitor
Iacobus Ostrorog manu propria.[b]

a)-b) *manu propria.*

*N. 1846.*

*Oryszewo, 31.III.1562.*

*Stanislaus Wolski de Podhajce, castellanus Brzezinensis,*
*Alberto in Prussia duci*
*sollicitudinem et curam ducis de afflicta a Moscho Livonia laudat et probat.*

*Sigill.*

*H B A, B 2, K.393.*

Illustrissime Princeps *etc.*

Quam sit misere afflicta Livoniensium res quantumve damnum illi per Moschorum Ducem,[1] capitalem non modo Livoniae, sed et totius Poloniae provinciarumque ad eam spectantium haereditarium plane hostem, annis hisce praeteritis illatum sit, calamitates illorum liquido declarant. Qui quidem Moschus non satis habet, uti Illustritas Vestra prudentissime ad me et perscripsit et secum perpendit, magnam illius provinciae partem in potestatem superbumque et barbaricum atque foedissimum iugum redegisse, nisi totam plane imperio suo quam primum armis vel astu adiungat. Et ea ditioni suae (quod dii penitus avertant) adiuncta, nullo modo animus, aviditate habendi et imperandi insaciabilis

recentibusque fortunis superbe elatus, contentus esset, quin maiora quoque et ampliora cogitaret. Nemini autem obscurum esse potest, quo ille intendat, dum ita studiose de Livonia laborat, nimirum ut ea subacta Octidentali Oceano primum, deinde toto dominio Maiestatis Regiae, Domini Domini nostri clementissimi, pociatur.

Cum autem videam Illustritatem Vestram, Dominum meum clementissimum, summo sane studio non modo praesentibus calamitatibus Liveniensium opitulari, sed et Poloniae Regnum caeterasque illius provincias ab subsequentibus malis et gravibus periculis eruere velle, non possum hanc illius promptitudinem et in nostram patriam singularem amorem non obviis, quod aiunt, ulnis amplecti et plane exosculari. Et tametsi nunquam mihi dubium fuit, quin Illustritas Vestra, sicuti adiunctus Regno Princeps, summo amore Poloniae teneretur, praesertim cum scirem maternum genus illius Reges Poloniae respicere, optatum porro mihi actidit intellexisse illam eo suum animum inclinare, ut omnibus rationibus provinciis ad pericula expositis succurrat. Est hoc verae virtutis et plane haeroici animi, quo est praedita Illustritas Vestra, summa ope niti res summis calamitatibus fractas suo flori restituere. Ego sane ad arbitrium, alioqui honestissimum et prudentissimum, Illustritatis Vestrae, quantum studio, labore, cura et diligentia conniti potero, in eam partem incumbam, ut, cum res Livonica ad Senatum venerit, Illustritas Vestra me et litteris illius paruisse et Livoniae provinciae, atque adeo totius patriae nostrae, mihi summam curam extitisse non difficile cognoscat. Ita igitur de me sibi persuadere dignetur, ut, si quid aliquando mihi vel imperaverit, vel ad aliquod officium suum advocare dignata fuerit, praesertim cui res iusta et commodo tranquillitatisque Reipublicae propria coniungetur, non passurum me esse illam et frustra mihi imperavisse et officia postulasse, imo curaturum semper, ut in omnibus mandato illius per me satisfiat... Datum Orisewo, ultima die Martii, anno Christi Domini MDLXII.

[a] Eiusdem Celsitudinis Vestrae
obsequentissimus servus
Stanislaus Volsky de Podhaycze,
Castellanus Brzesinensis
manu propria.[b]

a)-b) *manu propria.*
1) *Ioannes IV Basilides.*

*N. 1847.*

*Łobżenica, 4.IV.1562.*

*Ioannes Krotoski, castellanus Inovladislaviensis,*
*Alberto in Prussia duci*
*de Livonia Regno Poloniae incorporanda.*

*Sigill.*

*H B A, B 2, K.393.*

Nayassnyeyze, Myelosscziwe Książe *etc.*

Czo ssye dothicze, M. Kzyąze, rzeczy thy, o ktory Wassa Ksiązęcza Mczoi,[z] Pan moy myelossczіwy, do mnye pissacz raczysz, czębym ia thess myedzi ynnymy czlonky koronnymy, będacz czlonkyem Rzeczy Pospolithi Polsky, do thego ssye myal, iakoby sziemya Ifflanczka bęla incorporowana w Korone Polską, na thym tho Seymye przisslim Piotrkowskym, thedy

tho, czo yesth s powynowaczstwa mego, ktorym s myeycza[z)] swego Rzeczy Pospolithy, takze i Panu swemu, K.I.M., wynyen tham na then czass, yesly Pan Bog sdrowia posprziiacz będzie raczel, mowycz ssye i radzycz będzie s tymy wssithkimy, ktorzi ssye dla thy przyczyny nawyęczy szyądą. V.M., Mczwe Kziąze, węthpicz o my osobie nyepothrzeba, ze ya rad na tho zeswole, zebyssmy raczy Ifflanthy swymy myely, anyslizeby na ych myeysczu Moskiewsky nam sąmssiadem bycz myal, czego uchoway Panye Boze... Dan s Lopssenycze, dnya 4 Quiethnya roku 1562.

[a)] V. K. M.
slusebnyk Ian s Krotosina
castellanus Inowladislaviensis.[b)]

a)-b) *manu propria.*
z) *sic in ms.*

*N. 1848.*

*Goluchoviae, 10.IV.1562.*

*Raphael Leszczyński, capitaneus Radziejoviensis,*
*Alberto in Prussia duci*
*iuxta ducis mandatum, servitores cum litteris ad indicatas personas se misisse nuntiat, excepto Hieronymo Ossoliński (in ms. Oscholinski), cuius domicilium sibi ignotum sit; daturum tamen se operam, ut quam citissime responsum ab eo ad litteras ducis obtineat. (Germanice)*

*Sigill.*

*H B A, B 2, K.393.*

*N. 1849.*

*Zamek (Samech), 14.IV.1562.*

*Stanislaus Ostroróg, capitaneus Międzyrzecensis,*
*Alberto in Prussia duci*
*pro equo gratias egit; filium [Nicolai] Rey se inducturum esse nuntiat, ut mentem suam duci aperiat; Marcellum Konarski commendat; scribit de abortu uxoris suae; de despota Moldaviae; de defectione Melchioris Balassa in Hungaria.*

*Vest. sigilli.*

*H B A, B 2, K.393.*

Illustrissime Princeps *etc.*

De equo misso Illustrissimae Vestrae Celsitudini ingentes ago gratias. Ac quanquam probe norim Illustrissimam Vestram Celsitudinem in colendis amititiis nihil nisi altum et liberale spectare, dabo tamen operam, ubi vel minima occasio affulserit, ut Illustrissima Vestra Celsitudo me dignum et memorem cognoscat. Verum malo hoc factis quam verbis comprobare. Itaque de hoc satis. Quanquam quidem nihil satis a me dici potest, quod non eximia et pene paterna Illustrissimae Vestrae Celsitudinis erga me benevolentia superet.

Ad filium Domini Rej quod attinet, quam primum is in has regiones venerit (abest enim Cracoviae), mentem ei Illustrissimae Celsitudinis

Vestrae significabo hominique author ero, ut mittat quempiam, qui animum suum Illustrissimae Celsitudini Vestrae aperiat. Caeterum pater et cognati Illustrissimae Vestrae Celsitudinis servitoris Konarsky [1] hanc unam ob causam ad me adierunt accurateque rogaverunt, ut meas preces pro filio apud Illustrissimam Celsitudinem Vestram interponerem, quo Illustrissima Vestra Celsitudo eius servitiorum, quae per multos annos Illustrissimae Vestrae Celsitudini praestitit et, quoad vixerit, praestiturus est, rationem haberet. Ipse quidem Konarsky de liberalitate Illustrissimae Vestrae Celsitudinis minime dubitat, sed tamen, ut sunt in aulis multae insidiae et exterae nationis homines plerumque invidia laborant, inimicos et aemulos pertimescit. Ego Illustrissimae Vestrae Celsitudini hac in re molestus esse nolo, scio [a] facere et facturam, quod se dignum est. Hoc tantum oro, quod Illustrissima Vestra Celsitudo sua sponte factura erat, mea quoque causa faciat et citius et prolixius.

Nova apud nos haec sunt: Sed prius Illustrissimam Vestram Celsitudinem de domestico eoque gravissimo maerore meo certiorem faciam. Carissima et amantissima mea coniunx ultima Martii, circiter horam decimam nonam, octavo mense [b] abortiit. Cum quidem decem octo ipsos annos mecum nupta fuisset, neque ego antea quicquam ex ea liberorum tulissem. Erat autem foemella. Quae quidem res quem mihi luctum attulerit, Illustrissima Vestra Celsitudo pro sua eximia prudentia, addo etiam, praeclara sua erga me benevolentia, facile cogitare potest. Me autem hoc unicum consolatur, quod mea uxor, cum qua omnem aetatem sine rixis et ullis iurgiis suavissime vixi, salva [c] existit. Plura scribere non placet, ne memorando luctum mihi renovem, et lachrimae quoque non promittunt.

Nunc itaque ad nova convertor. Allatum est ad nos (quanquam fabulis et technis fraudeque involuta sunt omnia) Turcarum Imperatorem [2] Despoti,[3] qui nunc rerum in Walachia potitur, vexillum, quod apud eos Aurei Velleris loco habetur, misisse datis duabus [d] conditionibus. Quarum una est, ut omnis generis peregrinos homines militesque dimittat et a signis discedere [e] iubeat, altera, ut arcem Choczim a Domino Lasko [4] recipiat, quam arcem ei possidendam attribueret, cuius possessionis reditus ad 10000 florenorum aestimatur. Ipsum vero Dominum a Lasko [f] cuius fortissima et fidelissima opera Dominus Despotes in eiiciendo Alexandro usus est, non amplius medio mense intra fines limitesque Regni sui consistere et pedem ponere permittat. Aliter regnare non passurum. Sunt qui dicant propterea a Romano Caesare [5] adiutum, ut, si quid humanitus Regi Poloniae accideret, facilius eius opera Regnum Poloniae filio suo adipisci possit.

Quae vero in Regno nostro technae, insidiae, partium factiones suboriantur, clandestinae cum exteris pactiones existant et occulta consilia coquantur, scribere neque possum neque debeo. Quanquam et ita aleam me iecisse video. An ne haec quidem chartae committerem, nisi Illustrissimae Vestrae Celsitudini tantum fiderem, quantum fido. Ac quanquam multae sint causae, cur Illustrissimam Vestram Celsitudinem coram aspicere et alloqui velim, tamen haec vel gravissima est, cuius nunc mentionem intuli, quaeque me dies et noctes angit. Sed huius mei desiderii Deum aliquam mihi occasionem tempusque daturum confido. Consanguinea mea, quam in matrimonio habet Procopius Sieniawsky, fidissimus Illustrissimae Vestrae Celsitudinis servitor, mihi significavit intimum familiarem Regis Ungariae, nomine Balazewicz,[6] abrupta fide ab eo defecisse atque arces quasdam invasisse et occupasse. Ac quanquam Rex in exercitu habuerit 6 millia equitum et duo millia peditum, ille proditor vero tantum duo millia equitum et quingentos pedites, tamen Regis co-

piae fusae et concisae sunt. Quo stratagemate usus fuerit, nondum compertum habeo. Rex quidem bellum renovat et magnum Turcarum numerum collegit. Domino Procopio in hoc motu rerum omnes generosi equi cum ornamentis et impedimentis, et quinque millia Ioachimicorum intercepta sunt. Ipse casu quodam abfuit. Haec nova habui, quae Illustrissimae Celsitudini Vestrae scribenda duxi...

Data ex arce Samech, 14 Apprillis, 1562.

[g] Vestrae Illustrissimae Celsitudinis, quoad vixero,
fidissimus servitor
Stanislaus ab Ostrorog manu propria subscripsit.[h]

a) *sequitur expunctum:* ut
b) *in ms.* mente
c) *correctum ex:* salvam
d) *loco expuncti:* tribus *suprascriptum.*
e) *in ms.* descedere
f) *in ms.* Alasko
g)-h) *manu propria.*

1) *Marcellus.*
2) *Solimanus II.*
3) *Iacobus Heraclides Basilicus.*
4) *Albertus.*
5) *Ferdinandus I.*
6) *Melchior Balassa.*

### *N. 1850.*

*Vilnae, 20.IV.1562.*

*Nicolaus Radziwiłł, palatinus Vilnensis,*
*Alberto in Prussia duci*
*pro Georgio Lengefeld, subdito ducis ex oppido Memel, aedificationi arcis Olicensis praefecto, qui magnum aliquod damnum a Matthia Vox (Fuchs?), cive Regiomontano, vel eius patrono, defuncto Bernardo Lekel, perpessus est.*

*Sigill.*

*H B A, B 2, K.393.*

### *N. 1851.*

*s.l. [m. Aprili, 1562].*

*Stanislaus Lasocki, succamerarius Lanciciensis,*
*Alberto in Prussia duci*
*de comitiis districtuum iam absolutis; de legatione ad regem missa, eum inductura, ut propria persona Comitiis Regni adsit.*

*(Schedula adiuncta: de gratia ducis Iacobo Despotae restituenda)*

*Sigill.*

*H B A, B 2, K.393.*

Clementissimus coeli ac terrae Conditor sit benedictus in saecula, qui in gratia atque benedictione sua diu incolumem conservet Tuam Illustrissimam Celsitudinem, ex animo opto atque mea servitia christiana in gratiam Tuae Celsitudinis commendo.

Litterae Tuae Illustrissimae Celsitudinis quarta die Aprillis sunt mihi, Illustrissime Princeps, redditae. Ex quibus intellexi Illustrissimam Tuam Celsitudinem operam navare, sicut decet christianum Principem, pium ac Regno Poloniae fidelissimum, de augendo bono Reipublicae nostrae et honore Sacrae Regiae Maiestatis, Domini nostri clementissimi, simul de auxilio Liwonorum, iam ferme oppraessorum a Mosco tyranno, atque

consulendo, ne posthac Regno peiora ex hoc eveniant. De quibus Tuae Illustrissimae Celsitudinis summis conatibus ego, sicut membrum unum huius Regni, ingentes gratias ago.

Quod ad me attinet, ut una cum aliis fratribus meis huic negotio succurere velim, Tuae Illustrissimae Celsitudini significo, quod Comitia districtuum iam sunt absoluta et ad Sacram Regiam Maiestatem certae personae ex Minori Polonia in legatione certa sunt iam missae, ut declarent Sacrae Suae Maiestati Regiae, ob quas causas legitimas nuntios ad Comitia deputata eligere non poterant, neque ad talia Comitia consentire, et petere, ut Sacra Regia Maiestas de talibus Comitiis curet, ubi propria persona sua poterit adesse. In quibus primum obstacula atque impedimenta omnia, huic negotio atque aliis, secundum necessitatem, succuratur, et postea ibidem huic negotio prudenter consuletur cum honore atque utilitate Reipublicae Regni ac Sacrae Regiae Maiestatis, et consolatione certa iam oppraessorum Livonorum, ne volendo cito aliquid agere, incidamus in dedecus atque damnum, et simul labor et oleum perdatur.

Itaque illo tempore, Illustrissime Princeps, quantum ex meo posse erit, una cum aliis fratribus, Domino Deo adiuvante, secundum conscientiam atque fidelitatem meam omnem operam dabo, ut oppraessis christianis succuratur. Tandem me atque servitia mea Tuae Illustrissimae Celsitudini in clementiam commendo, optando, ut Deus Omnipotens Tuam Illustrissimam Celsitudinem ad laudem gloriamque adorandi atque sanctissimi nominis sui atque multorum consolationem, diu foelicem atque incolumem conservet, et hoc propter Iesum Christum, unicum verum Servatorem nostrum.

Vestrae Illustrissimae Celsitudini
servitor ex animo
Stanislaus Liassoczki, Succamararis [z]
Leciciensis, manu propria.

*Schedula adiuncta: de gratia ducis Iacobo Despotae restituenda.*

Cum occasio evenit, Illustrissime Princeps, visum mihi erat brevibus attingere de christiano Principe Dei gratia atque auxilio terrae Moldaviae, Domino Heraclidi Iacobo Despote Sami etc., sciens ex ore ipsius et bene memoriae [z] tenendo, quanta gratia atque charitate Tua Illustrissima Celsitudo prosequebatur eum. Ex quo ille non mediocrem consolationem habebat et multi alii, una mecum. Postea istis temporibus intellexi aliquomodo Tuam Illustrissimam Celsitudinem ab aliquo tempore alienatum esse ab eo, de qua re certo tempore, Illustrissime Princeps, cum dolore animi paulisper est loquutus mecum, ignorans causam atque vices has dolens. Non dubito Tuam Illustrissimam Celsitudinem clementer hanc meam sinceritatem suscipere atque boni consulere. Cupio enim atque opto, ut si illa amicitia christiana aliquo modo laesa fuerit, ut solet accidere, et praesertim in tantis arduis atque, posset dici, incredibilibus rebus, iterum in pristinum statum, imo adhuc in maiorem amorem reduci poterit. Ex quo multi iterum consolationem actiperemus, in quo ego simul cum Domino Philipovio,[1] si Tuae Illustrissimae Celsitudini placuerit, operam meam offerro [z] atque oro, ut hoc meum ex animo scriptum boni consulat, ut non dubito ea omnia ipso animo a Tua Illustrissima Celsitudine erunt suscipienda, sicut a me sunt in sinum Tuae Illustrissimae Celsitudinis effusa.

z) *sic in ms.*
1) *Hieronymus Filipowski.*

*N. 1852.*

*Vilnae, 3.V.1562.*

*Nicolaus Łaski*
*Alberto in Prussia duci*
*ex litteris sibi per stabuli ducalis praefectum allatis magnam se ducis in se benevolentiam perspexisse significat; pro equo sibi misso gratias agit; servitia sua in aula regia offert.*
*(Germanice)*
*Sigill.*
*H B A, B 2, K.393.*

*N. 1853.*

*Vilnae, 5.V.1562.*

*Ioannes Dulski, capitaneus Rogosnensis,*
*Alberto in Prussia duci*
*Valentinum Stoll, sibi a duce commendatum, se regi commendasse nuntiat et petitionem ducis de 400 bobus sine telonei solutione per Regnum pellendis regi exhibuisse.*
*(Germanice)*
*Sigill.*
*H B A, B 2, K.393.*

*N. 1854.*

*Cracoviae, 10.V.1562.*

*Ioannes Ocieski, R.P. cancellarius,*
*Alberto in Prussia duci*
*commendat uxorem Alberti Tchórzewski, quae in Prussiam ad recuperandam reliquam pecuniam a fratre suo Ioanne Pusch, capitaneo Angerburgensi, proficiscitur.*
*Vest. sigilli.*
*H B A, B 2, K.393.*

*N. 1855.*

*Vilnae, 28.V.1562.*

*Stanislaus Sobek, capitaneus Malogostensis,*
*Alberto in Prussia duci*
*de exitu legationis suae, una cum aliis legatis a nobilitate deputatis, ad regem peractae, breviter refert.*
*Sigill.*
*H B A, B 2, K.393.*

Illustrissime Princeps *etc.*

Maxima Illustrissimae Celsitudinis Vestrae beneficia, ab ineunte aetate in me collata, adeo Illustritati Vestrae animum meum devinctum et

plane servum reddiderunt, ut cum mortalium nemini hac in parte plus debeam, omnibus ut minimis servitiis promereri gratiam Illustritatis Vestrae coner. Cum autem hoc tempore legatus a nobilitate ad Maiestatem Regiam fuerim procurandamque Reipublicae utilitatem, quantum in me esset, susceperim, debuissem sane Illustritati Vestrae omnia, prout acta proactave sunt, copiose et luculenter perscribere. Verum enimvero maximis et gravissimis occupatus negotiis, rem adeo verbis copiose explanare non possum. Id brevibus Illustritati Vestrae significo: nos, quaecunque a Regia Maiestate petiimus, ampla promissionum (petitionis nostrae seriem clementer suscipientium) forma obtinuisse, imo et aliarum rerum, quae in utilitatem Reipublicae caedent, nobis vel non opinantibus, spes iniecta est, ita ut ex animi sententia rebus omnibus peractis, domum versus fratribus rem indicaturi remeemus. Verum non est, quod rem verbis longioribus extraham, cum Magnificus Dominus Tarło, Castellanus Radomiensis,[1] omnia Illustritati Vestrae copiosissime et ad unguem sit perscripturus...

Datum Vilnae, 28 Maii, anno Domini 1562.

[a] humilimus servus
Stanislaus Sobek,[b]
Capitaneus Małogostensis et Sulieowiensis
[a] manu propria subscripsit.[b]

a)-b) *manu propria.*
1) *Gabriel.*

*N. 1856.*

*Vilnae, 16.VI.1562.*

*Stanislaus Miłoszewski*
*Alberto in Prussia duci*
*petit restitutionem 120 talerorum, a se Ioanni Schnell, consiliario ducis, pro expediendis quibusdam negotiis ducis mutuo datorum, cuius debiti solutionem dictus Ioannes Schnell « verbis inanibus et spe vana » protrahit, prout dux ex relatione Bernardi Pohibel, servitoris sui, planius cognoscet.*

*Sigill.*

*H B A, B 2, K.393.*

*N. 1857.*

*Vilnae, 14.VII.1562.*

*Petrus Myszkowski, R.P. vicecancellarius,*
*Alberto in Prussia duci*
*pro litteris, gratiae ducalis erga se testimonio, gratias agit; de benevolentia regis erga ducem refert; in negotio Thomae Koss, sibi a duce commendato, nihil hoc tempore, ob negotiorum multitudinem, a rege obtinere se potuisse affirmat.*

*Sigill.*

*H B A, B 2, K.393.*

N. 1858.

Gedani, 17.VII.1562.

*Ioannes Tęczyński*
*Alberto in Prussia duci*
*de bona ducis valetudine gaudet, obsequia sua offert.*

*Sigill.*

*H B A, B 2, K.393.*

N. 1859.

Barbiryszki, 7.VIII.1562.

*Cheroslaus dux Rapaloviensis, marsalcus regius,*
*Alberto in Prussia duci*
*filium suum Nicolaum, in Academia Regiomontana studiis litterarum operam dantem, ad aliquod tempus domum revocare cupiens, non vult id sine scitu et consensu ducis facere.*

*Sigill.*

*H B A, B 2, K.393.*

N. 1860.

Gedani, 16.VIII.1562.

*Ioannes Tęczyński*
*Alberto in Prussia duci*
*significat itinerarium Ioannis ducis Finlandiae per Prussiam ad regem Poloniae; Martinum Kwiatkowski et eius versiones in linguam polonicam, praesertim Apologiam Augustanae confessionis, commendat.*

*Sigill.*

*H B A, B 2, K.393.*

Illustrissime Princeps *etc.*

Quod nos Illustrissima Celsitudo Vestra per servitorem nostrum petiit, ut de discessu Illustrissimi Ducis Finlandiae,[1] et qua iturus sit, Vestram Illustrissimam Celsitudinem certiorem litteris nostris faceremus, id nobis periucundum accidit, ut qui semper eo studio erga Illustrissimam Celsitudinem Vestram a maioribus accepto affecti simus, nos in omnibus Vestrae Illustrissimae Celsitudini promptissimos exhibere. Itaque, quantum certo intelleximus, Illustrissimus Dux Finlandiae hinc XVIII huius mensis discessurus et per Prussiam ad Sacram Regiam Maiestatem iter facturus est. Quando vero Regiomonti apud Illustrissimam Celsitudinem Vestram esse debeat, id plane certo scire non possumus.

Porro discedentem hinc Nobilem Martinum Kwiatkowski, clientem Illustrissimae Celsitudinis Vestrae ac nostrum integerrimum, praetermittere noluimus, quin illum, uti bene meritum, Illustrissimae Celsitudini Vestrae hisce literis nostris commendaremus. Diligenter itaque petimus, ut eum Illustrissima Celsitudo Vestra, tanquam patronus eius clementissimus, gratia sua prosequi et ab iniuriis malevolorum hominum tutari eidemque puerum fovere in aula Illustrissimae Celsitudinis Vestrae concedere dignetur.

Ad haec versiones eius in linguam Polonicam, praesertim vero Apologiam Augustanae Confessionis, quam magno commodo multis fore putamus, Illustrissimae Celsitudini Vestrae commendamus, obnixe rogantes, ut ad eam promulgandam Illustrissima Celsitudo Vestra auxilio suo clementer adesse velit. Futurum id Deo Optimo Maximo acceptissimum ac Reipublicae nostrae utilissimum minime dubitamus, nosque eo nomine Illustrissimae Celsitudini Vestrae plurimum debere existimabimus. ... Gedani, XVI Augusti, anno salutis nostrae MDLXII.

Vestrae Illustrissimae Celsitudinis
servitor deditissimus
Ioannes Comes in Tenczin manu propria
subscripsit.

1) *Ioannes.*

*N. 1861.*

*Goluchoviae, 24.VIII.1562.*

*Raphael Leszczyński, capitaneus Radziejoviensis,*
*Alberto in Prussia duci*
*mittit notitias de conventu nobilitatis Sandomiriae celebrando et suadet, ut dux ea de re regem faciat certiorem, ne eiusmodi « privatum conventum » permittat.*

*Sigill.*

*H B A, B 2, K.393.*

Durchlauchtigster *etc.*

Nachdem ich meinen ganzen sihn undt willen dohin gewandt, E.F.D., meinem gnedigsten herrn trewlichen zu dienen undt meine trewe dienste zu leisten, habe ich nicht underlassen konnen, domit ich E.F.D., meinem gnedigsten herrn, undertheniger undt einfeltiger meinung den ganzen handel zu Sandomir in vorsamlung vieler vom adel der Cron Polan tractiret, nicht ubersenden solte, welchen ich vom herrn Wolski, bischoffen zur Coia,[1] meinem schwager, angenohmen. Denselbigen ganzen handel werden E.F.D. auss inliegendem polnischen schreiben [*] wol vornemen konnen, welchs ich in der eile nicht habe lassen vertiren kondt.

Nu duncket mich, gnedigster furst undt herr, nach meinem albern

undt geringen vorstande nicht unbillich, E.F.D. wolten denselbigen handel ahn ihre ko. mt. gelangen lassen undt ihrer ko. mt. dortzu rhaten, domit solcher privatus conventus ohne beysein ihrer ko. person nicht gestattet wurde, sondern ihre ko. mt. wolten auf die wege undt mittel trachten, domit dem unfal undt was sonsten doraus erwachsen möchte, furzukommen undt selbst einen landestagk ernennen etc. Denn E.F.D. werden wol ersehen konnen, was doselbst zu Sandomir fur ein handel getractirt worden undt was auss einem solchen privato conventu möchte ubels erspruſsen. Dasselbige stelle ich E.F.D. anheim, denn es wurde ohne ihrer ko. mt. sonderem grossem spot undt nachteil von andern frembden umbliegenden lendern nicht hiengehen undt also ihrer ko. mt. ehren undt person gemindert undt geschwehet wurde, wie es den E.F.D. werden, ihrem hochsten vorstande nach, erachten undt colligirn konnen...

Datum zu Golluchow 24. Augusti anno etc. 62.

E.F.D.

dienstwilliger
[a] Rhaphael Leschczynsky uff Rhadzeov
undt Soldaw heuptman.[b]

a)-b) *manu propria.*
1) *Nicolaus Wolski.*
*) *deest.*

*N. 1862.*

*Mundae, 15.X.1562.*

*Ioannes Albertus dux Megapolensis*
*Ioanni Ocieski, R.P. cancellario,*
*ad Comitia Regni Poloniae venire ipse non potest, ad electionem Maximiliani II profecturus, mittit Christophorum Ionam et Davidem Pfeifer eosque commendat.*

*Sigill.*

*(Probabiliter a Ioanne Ocieski duci Alberto transmissum)*

*H B A, B 2, K.393.*

Magnifice ac Generose, Amice Charissime.

Nihil mihi optatius accidere potuisset, quam si in istis celeberrimis Regni Serenissimi Regis Comitiis coram adesse et cum Magnificentia Vestra de rebus quam maxime necessariis transigere potuissem. Nunc autem posteaquam ita accidit, ut mihi eodem tempore ad Serenissimi Principis et Domini, Domini Maximiliani Boemiae et Romanorum Regis, electionem Francofurdum eundum esset, quae mihi cum Magnificentia Vestra agenda esse videbam, omnia Domino Christophoro Ionae et Domino Davidi Peifero, Consiliariis meis, mandavi. Hos igitur ut Magnificentia Vestra meis verbis agentes benigne audiat et fidem mea causa iisdem tribuat, in primis vero clementer, ut spero et pro causae aequitate confido, respondeat Magnificentia Vestra, pro mea perpetua in Magnificentiam Vestram studio et observantia etiam atque etiam rogo... Datum Mundae, Idibus Octobris, anno MDLXII.

Ioannes Albertus Dei gratia Dux Megapolensis etc.
[a] I[oannes] Albertus manu propria.[b]

a)-b) *manu propria.*

## *N. 1863.*

*s.l., s.d. [ante 1.XI.1562]*

*Palatinus et vicesgerens Ducatus Masoviae [Stanislaus Ławski] legato suo ad ducem Albertum misso*
*instructio in negotio villae cuiusdam a duce sibi concedendae et mittendorum commissariorum ad stabiliendos fines inter certa bona sua et bona vicinorum suorum.*

*H B A, B 2, K.393.*

Pro quibus rebus est orandus Princeps Illustrissimus.

Magnificus Pallatinus et Vicesgerens in Massovia sua humilima obsequia Illustrissimo Domino Principi comendando, reducendo in memoriam Suae Ducali Celsitudini, petit atque obnixe precatur, quatenus Sua Ducalis Celsitudo ipsi Pallatino villam parvam et exiguam, Suczky nuncupatam, villae ipsius et bonis Baitkowo adiacentem et contiguam, ex munificentia et gratia sua spetiali pretio aliquo condigno vendere seu largire dignaretur, idque ratione et respectu obsequiorum asidue[z] exhibitorum et exhibendorum, tum denique damnorum et impensorum, per ipsum Pallatinum occassione[z] bonorum Andrissow cum Capitaneo castri Pyrz factorum. Prout Sua Ducalis Celsitudo ad petitionem ipsius Pallatini, antea prius factam, ex gratia sua spetiali et munificentia ducali ipsam villam, exiguam fructusque seu commoda parva ferentem, dare seu vendere non recusavit. Immo, quanti proventus et commoda ex ipsa villa parva essent, scire voluit ipsamque petitionem Pallatini in deliberationem actepit et distulit.

Item idem Pallatinus et Vicesgerens Mazoviae petit et summopere orat, quatenus Sua Ducalis Celsitudo aliquot Dominos Commissarios ad fatiendas granities[a] et scopulos inter bona et villam ipsius Pallatini, Rakowo dictam, et villas ac bona adiacentia et contigua, presertim Gorskych et aliorum vicinorum, quum prefati vicini contigui adiacentes, destructis et corruptis scopulis et granitiebus, in bona ipsius Pallatini Rakowo violenter sese iniecerunt, non parvamque partem sylwe et borre[z] extirpando, agros novos parant et fatiunt sibique appropriantur in damnum ipsius Pallatini non mediocre, mittere, dare et concedere dignaretur. Qui tandem Commissarii ad bona predicta condescendendo id, quod iuris et dignitatis fuerit, fatient et decernere diudicareque curabunt, granitiesque et scopulos iuxta iura et privilegia fatient erigereque conabuntur.

Pro qua tandem gratia et munificentia ipse Pallatinus et Vicesgerens Massoviae totis conatibus et humilimis obsequiis Suae Ducali Celsitudini demereri studebit et conabitur Deumque Omnipotentem pro felici rerum omnium successu deprecaturus.

a) *sequitur expunctum:* differentiasque
z) *sic in ms.*

## *N. 1864.*

*Vilnae, 2.XI.1562.*

*Nicolaus Radziwiłł, palatinus Vilnensis,*
*Alberto in Prussia duci*
*nuntiat se cum oratore ducis, Venceslao Schack a Stangenberg, collocutum esse et per eum oretenus ad omnia duci respondisse; in negotio Augustini Dameraw, eo absente, nihil cognosci posse.*

*Sigill.*

*H B A, B 2, K.393.*

*N. 1865.*

*Vilnae, 11.XII.1562.*

*Nicolaus Radziwiłł, palatinus Vilnensis,*
*Alberto in Prussia duci*
*dolet, quod dux mutuum pecuniae regi dare recusat in causa, quae non solum Livoniensium est, sed fratris ducis, archiepiscopi Rigensis* [*Gulielmi marchionis Brandenburgensis*].

*Sigill.*

*H B A, B 2, K.393.*

Illustrissime Princeps *etc.*

Redditae mihi sunt ab Illustrissima Celsitudine Vestra litterae, in quibus excusat se iis conditionibus Sacrae Regiae Maiestati peccuniam dare non posse, quae Oratori suo, Domino Wenzeslao Schack, sunt propositae. Causatur autem aerarii sui inopiam, quo innuere mihi videtur non obstaturam fuisse etiam aerarii inopiam, si condiciones non displicuissent.

Illustrissime Princeps et Domine, quibus bellis Sacra Regia Maiestas se implicaverit pro Livonia atque adeo pro fratre Illustrissimae Celsitudinis Vestrae [1] susceptis, ipsa oculis propemodum suis Illustrissima Celsitudo Vestra intuetur, quanta impendia quotidie in ea faciat, quantum discrimen ditionum populorumque suorum adeat. Militem alit in Livonia, cui non alia fuit pecunia designata, quam ea, quae ab Illustrissima Celsitudine Vestra certissima spe expectabatur. Sperabat enim Sacra Regia Maiestas certam eam expeditamque fore ac recta in Livoniam deferri in stipendium militum debere. Sed cum ea se suppeditare posse Illustrissima Celsitudo Vestra negat, quid iis militibus fiet, cogitare potest. Dilabentur procul dubio et hoc difficili ac periculoso tempore miseram Livoniam praesidio nudatam suo destituent et in praedam hosti relinquent.

Itaque ego privatim oro obtestorque Illustrissimam Celsitudinem Vestram, Principem pium, christianum et Serenissimo Regi meo multis necessitudinis vinculis obligatum, misereatur illam afflictae Livoniae, cuius miseret externos, in quibus aliquis humanitatis sensus inest. Quid facere itaque conveniet Illustrissimam Celsitudinem Vestram, vicinum ac insigni pietate praeditum Principem, et ad cuius fratrem magna Livoniae pars pertinet, inque Livoniae discrimine omnes illius fortunae periclitantur? Huius rei, praesertim tamen petitionis Serenissimi Regis non vulgarem rationem ab Illustrissima Celsitudine Vestra habitam iri, plane mihi persuadeo, nec respecturam illam vel ad condiciones, vel ad aerarii sui rationes... Datum Vilnae, XI Decembris, anno Domini MDLXII.

Illustrissimae Celsitudinis Vestrae
[a] servitor
Nicolaus Radzivil etc. subscripsit.[b]

a)-b) *manu propria.*
1) *Gulielmus, archiepiscopus Rigensis.*

*N. 1866.*

*Petricoviae, 21.XII.1562.*

*Raphael Leszczyński, capitaneus Radziejoviensis et Soldaviensis, Alberto in Prussia duci*
*de argumentis in Comitiis tractatis: de advitalitatibus et incompatibilibus; de pecunia duci a se pro oppignoratione Soldaviae debita persolvenda; de Soldavia etiam filiis suis in possessione iure feudi a duce relinquenda.*

*Vest. sigilli.*

*H B A, B 2, K.393.*

Illustrissime Princeps *etc.*

Quod hactenus nihil scripsi Celsitudini Vestrae ex Comitiis nostris, non factum est per oblivionem aut negligentiam meam, sed quia nihil certi erat, quod pro mea fide Celsitudini Vestrae significarem. Ita enim memor sum officii, quod Celsitudini Vestrae debeo, ut opera sumptibusque nullis parcere velim, si qua ex parte gratum facere Celsitudini Vestrae possim. Nunc, quousque progressi simus consultando, Celsitudo Vestra cognoscat. Conclusum est, ut secundum statutum Alexandri Regis, ante annos 58 factum, bona omnia Reipublicae, quae erant Sigismundi Regis piae memoriae et moderni Augusti donationibus et largitione a fisco regio in terris ac territoriis omnibus, imperio Regni Polonici subiectis, abalienata, restituantur. Tum etiam, ut summae pecuniariae, post hoc statutum Regi, in quibuscunque locis oppida vel pagos obliganti, datae, nullius momenti esse censeantur, ne quid impediat, quominus omnes reditus Reipublicae liberi permaneant. Res haec, iam dudum exoptata, omnibus Reipublicae Ordinibus magnam adfert spem futurae felicitatis et pacis. Nunc tractatur de advitalitatibus, ut nos vocamus, et incompatibilibus. Quo in negotio legum est magna asperitas erga Regni Senatores, et nisi mitigabuntur, nullum ex Palatinis capitaneatum gerere posse certum est.

Illustrissime et Clementissime Princeps.

Priusquam in Comitia domo discederem, id egi, ut, quae numeraturum me promisi decem millia talerorum, Celsitudini Vestrae mitterem Toruniam ad diem Ianuarii decimam quintam. Nam pro festo Epiphaniarum nihil de hac re certi constituere potui per occupationes. Existimo omnino fore, ut integra pecunia Celsitudinis Vestrae Legatis eo loco reddatur, sed tamen si quid forte desideratum fuerit, quod non spero, Celsitudo Vestra id, quod erit, data recognitione accipere iubeat. Exigua haec mora erit, postquam ego,[a] quicquid desiderabitur, complebo. Nec prius privilegium ex Celsitudinis Vestrae Cancellaria mihi dari petam, quam totum, quod promisi, numeravero. Interim, Illustrissime Princeps, quid sit nobiscum amplius, significare Celsitudini Vestrae volui. Multi sunt, qui privatis commodis, quae ex Reipublicae bonis occupatis habebant, diminuuntur. Horum quidam propriae temeritatis, quidam vero paternae imprudentiae poenas graves luunt. In horum numero cum sim, meam hanc fortunam Celsitudini Vestrae proponere decrevi, quem mihi rebusque meis optime velle semper perspexi. Maiorum meorum atque parentis piae memoriae incogitantia et culpa accidit, ut pro haereditariis bonis tenerem, quae nunc iam reponenda sunt, bona regia. Quae res licet incommodo et damno meo fiat, aequo animo tamen ferenda est, praesertim cum patriae saluti meam non anteponam, et nihil accidere homini

posse, Deo non permittente, credam. Sed cum in tali casu non vetitam esse curam et sollicitudinem pro suis sciam, quid cogitem, paucis verbis Celsitudini Vestrae indicare decrevi. Quod, pro pietate sua, Celsitudo Vestra clementer accipiat et non in deteriorem partem interpretetur.

Gaudeo et gratias ago aeterno Deo, quod cor animumque Celsitudinis Vestrae erga me ita formavit et flexit, ut me asciscere in numerum suorum voluerit, qua in statione ita permanere statui, ne quispiam sit, qui officium in me requirat. Gratias etiam ago Deo meo et Domino Iesu Christo, qui rebus meis ita benedixit, ut haberem, quo meum erga Celsitudinem Vestram studium testarer. Nactus sum et locum, ex quo Celsitudini Vestrae obsequia mea e officiola tenuia cum mea voluptate praestare possim. Sed quia, ut memini, et mandato Dei et natura duce, in his rerum commutationibus, ad cogitandum et statuendum aliquid de liberis meis excitor, quod dicam, apud Celsitudinem Vestram non odiosum fore confido.

Numeratis integris quadraginta millibus talerorum in usus Celsitudinis Vestrae pro Soldaviensibus reditibus, video non posse tantum commodi ad me derivari inde, quantum acciperem ab iis, qui pecunia mutuatitia mercantur, interesse, ut vocant, solventes. Quod quidem interesse, ut adversum religioni nostrae et impium iudicavi semper, ita data pecunia dari mihi occasionem sub imperio Celsitudinis Vestrae manendi gaudeo. Bonis, quae heic habui, fato meo adverso exuor. Ut de aliis cogitem, in quibus et ipse aliquandiu conquiescere et quae liberis relinquere possim, res ipsa cogit. Proinde Celsitudinem Vestram rogo, ut Celsitudo Vestra cogitationem hac de re suscipiat, quid mecum statuere velit.

Est mihi animus sub imperio Celsitudinis Vestrae permanendi. Quod ut certum, firmum ratumque fiat, hoc modo perficiendum puto. Liberos masculos divina benedictione ex coniuge mea duos suscepi, quorum prior sex, alter quatuor annorum est. Hos si ea gratia Celsitudo Vestra complecti volet, ut iure feudi possidere hoc Soldaviense territorium patiatur, dum aliqua ex illis mascula proles superesit, pro meo erga Celsitudinem Vestram studio, pecuniae istius quadraginta millium talerorum iacturam facerem hac conditione, ut, si nulla sit futura superstes proles mascula, possessio Soldaviensis territorii, sine restitutione acceptae pecuniae, ad Celsitudinem Vestram redeat.

Nec detrecto officia, pro more hoc in loco recepta, quibus subiectio et obedientia a me meisque declararetur. Scio hoc propositum[b] non incommodum neque ingratum fore Celsitudini Vestrae. Nam video hos reditus ex alio, quicunque eo loco esset, ad Celsitudinem Vestram non perventuros, ut interim de studio, fide et observantia taceam, qua nulli cedere possum. Scio etiam hoc consilium meum diversis interpretationibus obnoxium esse, sed mihi satis dextre cedet, si illud Celsitudo Vestra non ab animo vel de providentia divina subdubitante, vel habendi cupiditate nimium affecto, emanasse iudicabit. Et si non probabitur Celsitudini Vestrae, rogo, ut literis principalibus, quae tradendae mihi erunt, ad conditionem a Celsitudine Vestra propositam meo nomine addatur etiam haec conditio, ut, quemadmodum ante exemptionem mei ex Soldaviensi arce annuum tempus post significationem exemptionis praecedere debet, ita vicissim, si inde ego sponte commigrare velim, certus sim de accipienda pecunia, ante anni spatium voluntate mea significata. Id enim rebus et fortunis meis meorumque melius cessurum credo, quibus ut prospiciam, praesenti casu et calamitate edoceor.

Nollem profecto tam iustam conquerendi de me causam relinquere

meis liberis, quam iustam ego habeo culpandi parentis mei, qui incerta pro certis mihi reliquit. Propterea etiam, cum talia fata experiar, ut videam quaerendum mihi esse Dominum talem, sub cuius patrocinio tuto conquiescam et in cuius [c] officiis me exerceam, id Celsitudini Vestrae, Domino meo clementissimo, inprimis significare volui. Etsi enim non dubito Deum veracem promissa sua servaturum, qui rectos corde se non derelicturum, neque semen ipsorum ad eam inopiam, ut panem quaerant, deducturum per Prophetam testatur, tamen quia naturae nescio quo impetu eo feror, ut prae caeteris animo et voluntate Celsitudini Vestrae adhaeream, deliberationes meas apud Celsitudinem Vestram proponere tutum esse putavi.

Ut autem Celsitudo Vestra hac in re de voluntate sua, dum hic sum in Comitiis, me certiorem reddere iubeat, reverenter et submisse rogo. Illud etiam peto, ut, si pecunia non integre Toruniae reddita ad Celsitudinem Vestram perferetur, quod quidem non puto futurum, Celsitudo Vestra mihi significare iubeat, debeam-ne hic in Comitiis eam tradere Commissariis Celsitudinis Vestrae, an non. Nam commodum esse iudico hic eam dare, si ita res tulerit... Datae Petricoviae, XXI Decembris, anno MDLXII.

Celsitudinis Vestrae deditissimus et fidelis servitor
[d] Raphael a Leschno, Radzeoviensis et Soldaviensis
Capitaneus, manu propria.[e]

a) *additum supra lineam.*
b) *sequuntur verba expuncta:* subiectio et obedientia
c) *sequuntur verba expuncta:* patrocinio tuto conquiescam
d)-e) *manu propria.*

*N. 1867.*

*Tridenti, 22.XII.1562.*

*Hercules Gonzaga, Hieronymus Seripando, Stanislaus Hosius, Ludovicus Simonetta, cardinales ad Concilium Tridentinum legati,*
*Sigismundo Augusto regi Poloniae*
*de haeresium in Regno Poloniae propagatione queruntur; rogant, ut rex decreta Concilii Tridentini debitae exsecutioni mandet.*
*(Exemplar, probabiliter aliis litteris duci missis annexum)*
*H B A, B 2, K.393.*

Serenissime Rex.

Quantopere fuerit Sacrum Concilium hoc piorum omnium votis expetitum, ut quibus nunc Ecclesia Dei tempestatibus et procellis iactatur atque agitatur, Oecumenico totius orbis Consilio [z] sedari pristinaque tranquillitas Ecclesiae restitui possit, Maiestas Vestra tanto minus ignorare debet, quanto maiore studio et ipsa in rem hanc incumbit, ut illud legitime congregatum aliquando videre liceret. Et est, quod Patri illi misericordiarum, Deo, ingentes agamus gratias, cuius immortali beneficio factum est, ut iam Concilium hoc et frequentius et celebrius habeamus, quam initio non sperare modo, verum etiam optare ausi fuissemus. Nullus est catholicorum et orthodoxorum Regum, qui suos huc Oratores non miserit. Quod idem a multis etiam Principibus factum est. Nec saeculis [a] aliquot unum in locum aliquem tantus Patrum numerus convenisse vi-

detur, quantum in hac civitate congregatum nunc esse cernimus. Quo nomine iterum atque iterum Dei benignitati gratias agimus, qui sponsam suam Ecclesiam oculis misericordiae suae respexit et ei de tam salutari medicina prospexit.

Sed interea maiorem, quam dici queat, ex eo dolorem capimus, quod plerosque tam ingratos tantae Dei gratiae videmus, qui certe contristant Spiritum Sanctum et eius gratiae [b] contumeliam faciunt, dum ut medicinam hanc ultro sibi oblatam accipiant, nullis rationibus adduci possunt. Nec ulli [c] magis eam renuunt, quam quorum causa remedium hoc potissimum [d] est inventum. Non enim egent, qui sani sunt, medico, sed qui male habent, non propter eos ex universo terrarum orbe tot hunc in locum tam praestantes medici convenerunt, qui sanam Ecclesiae doctrinam, sicut eam a sanctis maioribus suis sibi per manus traditam acceperunt, ita retinent, sed propter eos, qui posteaquam semel ab ea deflexerunt, tanquam parvuli fluctuantes circumferuntur omni vento doctrinae, et ab eo, per quem vocati sunt in gratiam, aversi, nunc in hoc, nunc in illud quidvis potius, quam Evangelium, transferuntur. Quales in Regno quoque Maiestatis Vestrae plurimos reperiri dolenter admodum accepimus, de quibus etiam si nullum Ecclesiae iuditium intercederet, suo tamen ipsorum proprio iudicio sunt condemnati. Ipsi se invicem a synagogis suis eiiciunt, ipsi se invicem haereticos pronunctiant, ipsi se mutuo condemnant, sicut ex eorum libellis, quos non paucos nobis videre licuit, cuivis perspicuum esse potest.

Quibus pridem sopitas Arianorum, Nestorianorum, Eutychianorum haereses et alias praeterea multas, quas longum foret enumerando recensere, nunc tandem in Regno Maiestatis Vestrae resuscitatas et ex Orco revocatas esse ipsimet aperte profitentur, ut suo ipsi mutuo iudicio tanquam sorices pereant. Cuius etiam rei sibi conscii, quandoquidem et opera eorum mala sunt et doctrina multo [e] peior, non audent in lucem prodire, fitque verissimum in illis, quod a Veritate dictum est: Omnis, qui male agit, odit lucem et non venit in lucem, ut non arguantur opera eius. Provisum est illis de securitate, qualem optaverunt ipsi, qua nulla dari potuit maior,[f] nihilominus sibi delitescunt in antris [g] suis, nec foras prodire audent, seque comedentes invicem, consumuntur ab invicem.

Quae cum ita se res habeat, videt Maiestas Vestra nihil a Sanctissimo Domino Nostro praetermissum esse, quod ad medicinam istis hominibus faciendam pertinere iudicant.[7] Duo iam prope anni intercesserunt, cum nos huc Sanctitas Sua Legatos suos misit. Menses aliquot expectavimus, priusquam Oratores Principum et Episcopi convenirent. Annus autem iam fere est, cum, invocato Christi nomine, Sacrum [h] Concilium hoc aperuimus, in quo prosequendo lente admodum festinavimus, dum illos expectamus, quorum causa potissimum fuit congregatum. Sed cum illi causae suae diffisi, quam habere se malam ipsi non ignorant, hactenus venire vocati recusarint, testamur Maiestatem Vestram, quod offitio nostro functi sumus et satis diu iam expectavimus, parati, cuius rei causa convenimus, quod infirmum fuit, consolidare,[i] quod aegrotum, sanare, quod confractum, alligare, quod abiectum, reducere, quod perierat, quaerere, non cum authoritate imperantes et potentia, sed in spiritu [j] lenitatis quemlibet instruentes, parati sanae Scripturarum intelligentiae lucem in his, de quibus nunc ambigitur, omnibus eam requirentibus afferre. Quae quidem lux non est alibi, quam in ea, quae firmamentum et columna [k] veritatis est, Ecclesia, quam hic omnem ex universo orbe Christiano congregatam videri [z] licet. Sed cum ostendant isti se magis tenebras diligere

quam lucem, et eam refugiant, nec ex antris suis prodire velint omneque medicinae genus respuant, iam nobis expectare diutius fas non est, verum, quoad [l] eius facere poterimus, primo quoque tempore Sacrum hoc Concilium, Deo consilia nostra [m] gubernante, ad optatum finem perducere conabimur. Quod ut aura sui favoris Maiestas Vestra prosequi et in his, quae decreta per illud fuerint, executioni debitae mandandis obedientem se Maiestatis Ecclesiae filium declarare velit, maiorem in modum ab illa petimus. Pertinebit hoc Maiestati Vestrae tum ad Regni sui tranquillitatem conservandam, quod perturbata religione stare diu non potest, tum ad Dei gloriam promovendam, qui non in hoc modo, verum et in futuro saeculo Maiestati Vestrae largietur ea suae pietatis praemia, quae nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascenderunt. Optamus Maiestatem Vestram diu salvam esse et [n] incolumem. Datum Tridenti, die 22 Decembris, anno 1562.

Maiestati Vestrae servitores
Hercules Cardinalis Mantuanus [1]
Hieronymus Cardinalis Seripandus
Stanislaus Cardinalis Varmiensis [2]
Ludovicus Cardinalis Simoneta.

a) *Verba*: Nec saeculis *suprascripta alia manu pro expuncto*: Haec
b) *correctum ex*: gratiam
c) *correctum ex*: nulli
d) *ex alio verbo correctum.*
e) *in ms.* multa
f) maior *pro alio verbo expuncto suprascriptum.*
g) antris *pro alio verbo expuncto suprascriptum.*
h) *pro expuncto*: Sanctum *suprascriptum.*
i) *alia manu scriptum.*
j) *sequitur verbum expunctum.*
k) *verba*: et columna *supra lineam scripta.*
l) *in ms.* quod ad
m) *sequitur expunctum*: nostra
n) esse et *supra lineam, alia manu.*
z) *sic in ms.*
1) *Hercules Gonzaga.*
2) *Stanislaus Hosius.*

# 1563

*N. 1868.*

*Petricoviae, 25.I.1563.*

*Petrus Myszkowski, R.P. vicecancellarius,*
*Alberto in Prussia duci*
*per cubicularium ducis ducem salutat et obsequia sua offert.*

*Sigill.*

*H B A, B 2, K.394.*

*N. 1869.*

*Petricoviae, 26.I.1563.*

*Ioannes Dulski, capitaneus Rogosnensis,*
*Alberto in Prussia duci*
*oratori ducis, Friderico Kanitz, se opera sua apud regem adfuisse significat.*
*(Germanice)*

*Sigill.*

*H B A, B 2, K.394.*

*N. 1870.*

*Petricoviae, 27.I.1563.*

*Martinus Zborowski, castellanus Cracoviensis,*
*Alberto in Prussia duci*
*officia et obsequia parata declarat; in Comitiis nondum quicquam novi decretum esse nuntiat; subdito a duce sibi commendato opem se libenter laturum promittit.*

*Sigill.*

*H B A, B 2, K.394.*

*N. 1871.*

*Petricoviae, 24.II.1563.*

*Petrus Myszkowski, R.P. vicecancellarius,*
*Alberto in Prussia duci*
*pro donis gratias agit; significat nuntios ducis non aliam ob causam, quam ob negotiorum multitudinem nondum in Comitiis auditos esse.*

*Sigill.*

*H B A, B 2, K.394.*

*N. 1872.*

*Petricoviae, 25.II.1563.*

*Ioannes Dulski, capitaneus Rogosnensis,*
*Alberto in Prussia duci*
*Friderico a Kanitz, ducis consiliario, se in aula regia nunc adesse non potuisse nuntiat; servitia offert; pro promissis sibi ovibus gratias agit.*
*(Germanice)*

*Sigill. Autogr.*

*H B A, B 2, K.394.*

*N. 1873.*

*Petricoviae, 21.III.1563.*

*Ioannes Dulski, capitaneus Rogosnensis,*
*Alberto in Prussia duci*
*iuxta desiderium ducis, litteras eius se regi reddidisse nuntiat; responsum ad eas iam certo missum esse confidit.*
*(Germanice)*

*Sigill. Autogr.*

*H B A, B 2, K.394.*

*N. 1874.*

*Petricoviae, 21.III.1563.*

*Ioannes Dulski, capitaneus Rogosnensis,*
*Alberto in Prussia duci*
*pro benevolentia gratias agit; fidelia officia defert; quattuor equos dono mittit.*
*(Germanice)*

*Sigill. Autogr.*

*H B A, B 2, K.394.*

*N. 1875.*

*Petricoviae, 24.III.1563.*

*Hieronymus Ossoliński*
*Alberto in Prussia duci*
*de necessitate Livoniam Regno Poloniae incorporandi et de suo studio hac in re consequenda.*

*Sigill.*

*H B A. B 2, K.394.*

Illustrissime Princeps *etc.*

Accepi litteras Illustrissimae Dominationis Vestrae, sero quidem, nam cum a Celsitudine Vestra 13 Martii mihi datae sint, mihi redditae sunt 13 Octobris per Magnificum Dominum Cracoviensem. Quo factum est, ut serius ad eas respondeam. Litteras, inquam, accepi Celsitudinis Vestrae, benevolentiae eius erga me et clementiae singularis plenas, quibus causam Lyvonicam mihi commendare dignata est. Utinam vero ego is sim, qui ad eius provinciae dignitatem et commoditatem aliquid efficere possim, non paterer certe quicquam in me desiderari faceremque id cum mea sponte, tum vero hortatu Celsitudinis Vestrae, cui et in hac re et in omni alia, quae a me confici possit, cupio studia et officia mea esse quam commendatissima.

Moschorum Ducis insolentia et crudelitas nota est iam nobis omnibus, atque utinam id non nostro etiam malo. Sub ipsum enim tempus consultacionis de Lyvonia nuncius venit ipsum Moschum arcem Poloczko in finibus Lythuaniae gravi obsidione cinxisse iamque ea potitum esse. Eaque res impedit consultaciones nostras de Lyvonia. Et tamen non est dubium, quin Sacra Magestas Regia Domini nostri clementissimi cum Senatu et equestri ordine sit eius animi, ut illi provintiae praesto sit rebus omnibus, ut eam faciat suam Regnoque Poloniae adiungat. Videmus, quantum nostra intersit, ut in corpus Regni redigatur, quantumque malorum ad nos perveniret, si a nobis divelletur[z)] et a Moscho occuparetur.

Quam ob rem quod a me Illustris Dominatio Vestra postulat, non dubitet, quin pro mea parte et inter oratores municipales et cum Maiestate Regia ac Senatu sim diligentissime acturus, ut clarissimam illam provintiam adiiciatur[z)] Regno, iamque eius rei fundamenta iecimus omninoque spero fore, ut et pecuniis et copiis nostris adiuvetur. Tributum suffragiis omnium iam est decretum, cum Ordinibus omnibus Lithuaniae Conventus Lomzae ad festum Martini proximum indictus est. Ibi rebus omnibus finem, Deo duce, speramus impositum iri, ut tandem communibus consiliis bellum in Moschum decernatur, ut tandem, repulsa eius tyrannide, Lyvones nobiscum efficiantur unus populus gaudeantque libertatibus et privilegiis nostris omnibus. In quo cum mihi ipse satisfacere contendam, tum spero me probaturum sedulitatem et operas meas ipsi Celsitudini Vestrae, cuius quidem animum ex postrema litterarum particula, quo studium, laborem, diligentiam prolixe pollicetur pro salute Regni nostri, liquide perspexi et hominibus nostris declaravi non quidem nobis ignotum et obscurum, sed tamen et iucundum et omni gratitudine nostra prosequendum. Vicissim igitur et ego pro mea virili studia, labores et operas meas deffero ad Illustrissimam Dominationem Vestram, ut eis utatur ad quascumque res illi libuerit, neque dubito multos nostrae nationis homines eodem mecum animo esse, ut de ipsa Celsitu-

dine Vestra mereamur, quacumque re possimus... Datae ex Conventu Petricoviensi, XXIIII Martii, anno Domini MDLXIII.

[a] Illustrissimae Celsitudinis Vestrae
addictissimus servus
Iheronimus de Osolin manu sua.[b]

*In dorso alia manu:* Diser brieff sol uff kunftigen Reichstag beantwortet werden.
Responsio Doctoris Ionae.

a)-b) *manu propria.*
z) *sic in ms.*

*N. 1876.*

*Petricoviae, 25.III.1563.*

*Tribuni ordinis equestris omnium provinciarum Regni Poloniae, ad Comitia Petricoviensia delegati,*
*Alberto in Prussia duci*
*pro litteris ducis, ordinem equestrem salutantibus, gratias agunt et obsequia deferunt.*

*Sigill.*

*H B A, B 2, K.394.*

*N. 1877.*

*Petricoviae, 26.III.1563.*

*Procopius Sieniawski, dapifer Leopoliensis,*
*Alberto in Prussia duci*
*sibi a principe Hungariae [Ioanne Sigismundo] commissum esse nuntiat, ut ducem suo nomine inviseret, litteras redderet et inventos in Hungaria «aureos» monstraret; se tamen nunc impeditum esse, ut in persona ad ducem se conferat.*

*Sigill.*

*H B A, B 2, K.394.*

Naiasznieisze M.cziwe Kxiasze *etc.*

Krolewicz Iego M.cz Węgierski,[1] wielki prziiacziel Va. Kxia. M.czi, gdim bil na drodze po then czasz, Iego Kro. M.cz nigdi thego zaniechacz nie raczil, abi bil se mna, wiedzacz tho, zem ia iesth zwiklem a ziczliwem sluzebnikiem Va. Kx. Mczi. Czestich wszmiąnek miecz nie mial, y poradzil mi bil, abich ossoba szwą bil zdrowie Va. Kxia. M.czi od niego nawiedzil i listh mi więrzączi ku Va. Kxia. M.czi dacz raczil, y thi zlothe, ktorich tham niemalo u Iego Kro. M.czi naliezono, na oglądanie poslacz raczil. Alie izem ia therasz bendacz urzednikiem ziemskiem, prze decreth seimowy na wiecze szwe sandow ziemskich bicz mussial, nie moglem ossobą szwą Va. Kxia. M.czi doiąchacz szwego M.cziwego Pana, a wszakosz i listh

więrzaczi i thi I. antiquitates srebne, czosz mi Va. Kxia. M.cz roskazacz bil raczil, Va. Kxia. M.czi poszilam.

A sam udoszpiessiwszi ssię, gdisz thesz thu z woliei Bozei blizei oszadloscz Va. Kxia. M.czi bede mial, bende ssia staral, abich szam richlo Va. Kxia. M.czi ogladal, y s thim, czem bich mogl, zawszdi ssie Vaszei Kziaz. M.czi przyslugowacz bende... Datha w Piorthkowie,[z] ve czwarthek przed kwiethną niedzielia roku 1563.

Va. Kxia. M.czi szwemu M.cziwemu Panu

naniszi sluzebnik
Prokop Szieniawski
dapifer terre Leopoliensis.

z) *sic in ms.*
1) *Ioannes Sigismundus.*

*N. 1878.*

*Petricoviae, 27.III.1563.*

*Ioannes Ocieski, R.P. cancellarius,*
*Alberto in Prussia duci*
*de infirma valetudine sua conqueritur et dolet se ob eam duci bene servire non posse.*
*Sigill.*
*H B A, B 2, K.394.*

*N. 1879.*

*Petricoviae, 27.III.1563.*

*Albertus Starożrebski, episcopus Chelmensis,*
*Alberto in Prussia duci*
*de sui in nuntium ad Comitia Imperialia, negotiorum ducis causa, designatione ducem certiorem facit et secretiora mandata, si quae erunt, exspectat.*
*Sigill.*
*H B A, B 2, K.394.*

Illustrissime Princeps *etc.*

Cum me hoc tempore Regia Maiestas Serenissima ad Sacram Maiestatem Caesaream eiusque Sacri Imperii Conventum proxime celebrandum, negociorum Illustrissimae Dominationis Vestrae causa, in suum delegasset Nuntium, statui meum ad officium pertinere, si pro veteri meo erga Illustrissimam Dominationem Vestram cultu ac incredibili observantia id quoque Illustrissimae Dominationi Vestrae significarem ac illi, si unquam alias, nunc quidem quam maxime meam operam ac studia defferem,[z] praesertim cum istic sum iturus, ubi quo sim erga Illustrissimam Dominationem Vestram animo ac studio, multo illustrius sum declaraturus, quam hactenus declarare mihi licuerat. Quae itaque istic apud Caesaream Maiestatem ac reliquos Imperii Ordines cum de dignitate, tum rebus omnibus Vestrae Illustrissimae Dominationis mihi agenda

venient, ea me summa fide et sedulitate peracturum Illustrissima Dominatio Vestra non diffidat.

Et si quid praeterea erit secretioris negocii, quod meam fidem et meas operas requirat, de eo si me certiorem literis suis fecerit, dabo operam, ut intelligeret se id non frustra fecisse. Ita enim colo et observo Illustrissimam Dominationem Vestram, ut illius causa omnia me deberi existimem. Caetera ex Dominis Nunciis suis (cum quibus ea, quae ad rem videbantur esse, contuli) Illustrissima Dominatio Vestra cognoscet. Ego a Comitiis hisce nostris Plociam (quae civitas patriae meae est vicina) recta me confero, ut istic ea, quae pro itinere sunt necessaria comparem. Quam ob rem, si quid scribi ad me oportere existimaverit Vestra Illustrissima Dominatio, facere percommode poterit, hac praesertim loci non procul dissiti offerente se opportunitate, ubi aliquanto tempore immorabor... Datum Petricoviae, die XXVII Martii, anno Domini MDLXIII.

[a] Illustrissimae Dominationis Vestrae
bonus servitor
Albertus Starosrzebski, Episcopus
Chelmensis.[b]

a)-b) *manu propria.*
z) *sic in ms.*

*N. 1880.*

*Petricoviae, 4.IV.1563.*

*Petrus Myszkowski, R.P. vicecancellarius,*
*Alberto in Prussia duci*
*de episcopi Chelmensis [Alberti Starożrebski] in nuntium ad Comitia Imperialia in negotio tollendae proscriptionis ducis designatione.*
*Sigill.*
*H B A, B 2, K.394.*

Illustrissime Princeps *etc.*

Dedi operam in hoc initio Procancellariatus mei, quem non ita pridem Dei Optimi Maximi et Regiae Maiestatis clementia sum consecutus, ut negocia Illustrissimae Celsitudinis Vestrae, de quibus Internuncii ipsius ad Regiam Maiestatem erant ablegati, ex sententia Illustrissimae Celsitudinis Vestrae conficerentur, sicuti equidem in studio Maiestatis Regiae de tollenda imperiali proscriptione non arbitror Illustrissimam Celsitudinem Vestram quicquam hoc tempore desideraturam esse. Designatus est enim in eo negocio ad Maiestatem Caesaream Reverendissimus Dominus Episcopus Chelmensis, qui et familiae splendore et ea dignitate episcopali, qua praeditus est, non exiguum momentum videtur causae huic esse allaturus.

Ad caetera postulata maxime cupivissem, pro mea in Illustrissimam Celsitudinem Vestram observantia, ut voluntati et desiderio Illustrissimae Celsitudinis Vestrae satisfieret. Verum cum interea per negocia publica aliud a Senatu impetrari non potuerit, quam ut ad eundem modum, quo solebat antea Celsitudini Vestrae responderi, nunc etiam responderetur,

necessario acquiescendum in eo fuit. Si quid deinceps in his et aliis negociis opera mea Illustrissimae Celsitudini Vestrae usui esse poterit, omnia sum libentissime suscepturus, quae ad dignitatem Celsitudinis Vestrae et ad res ipsius quascunque pertinere videbuntur... Datum Petricoviae, die IIII Aprilis, anno Domini MDLXIII.

[a] Illustrissimae Celsitudinis Vestrae
obsequentissimus servitor
Petrus Miskovski.[b]

a)-b) *manu propria.*

*N. 1881.*

*Petricoviae, 7.IV.1563.*

*Albertus Łaski*
*Alberto in Prussia duci*
*de negotio suo cum Moldaviae despota habito per Christophorum Ionam ducem edoctum iri scribit.*

*Sigill.*
*H B A, B 2, K.394.*

Illustrissime Princeps *etc.*

Cum mihi Illustrissimae Dominationis Vestrae optima voluntas et singulari modo propensa benevolentia et Domino parenti meo, dum in vita esset, et iam mihi cum caeteris familiae nostrae exhibita, perspecta sit, pro mea vicissim erga Illustrissimam Dominationem Vestram observantia putavi non esse intermittendum, quin Illustrissimae Dominationi Vestrae, quid inter Dominum Despotam,[1] Palatinatus Moldavici Principem, et me agatur, planum facerem, praesertim cum caeteris christianis Principibus, quibus ab illo iniuriis affectus sim, indicaverim. Sed quia in praesentia litteras meas seriis et gravibus Illustrissimae Dominationis Vestrae negociis nolebam esse impedimento, nec fuit admodum ea mihi valetudo, ut id praestare possem, Domino Christophoro Ionae, Illustrissimae Dominationis Vestrae Consiliario, abunde enarrata commisi, ut Illustrissimae Dominationi Vestrae meo nomine referret. Cuius verbis in hoc meo negocio ut Illustrissima Dominatio Vestra plenam fidem adhibere velit, submisse rogo. Referet enim ea, quae iis, quos ego summa observantia colendos mihi proposui, perscribenda esse existimavi. Quod reliquum est, Illustrissimam Dominationem Vestram, Dominum meum clementissimum, felicem et incolumem valere ex animo desidero... Petricoviae, 7 Aprilis, 1563.

[a] Illustrissimae Celsitudinis Vestrae
servitor addictissimus
Albertus a Lasko manu propria subscripsit.[b]

a)-b) *manu propria.*
1) *Iacobus Heraclides Basilicus.*

*N. 1882.*

*Petricoviae, 8.IV.1563.*

*Ioannes Dulski, capitaneus Rogosnensis,*
*Alberto in Prussia duci*
*se diligenter apud regem interpellasse scribit, ut veredarius ducis quam citissime expediretur.*

*Sigill.*

*H B A, B 2, K.394.*

*N. 1883.*

*Grodnae, 19.V.1563*

*Petrus Myszkowski, R.P. vicecancellarius,*
*Alberto in Prussia duci*
*negotia a duce per doctorem Christophorum Ionam sibi relata se cum omni diligentia tractavisse nuntiat.*

*Sigill.*

*H B A, B 2, K.394.*

*N. 1884.*

*Łomża, 22.V.1563.*

*Nicolaus Wilga, capitaneus Ostrolencensis,*
*Alberto in Prussia duci*
*rogat, ut profugi coloni matris suae, palatinae Plocensis, in Ducatu Prussiae latitantes, requirantur et extradantur.*
*(Polonice)*

*Vest. sigilli.*

*H B A, B 2, K.394.*

*N. 1885.*

*Vilnae, 20.VI.1563.*

*Nicolaus Konarski*
*Alberto in Prussia duci*
*de tranquillitate in tabernis Caunensibus servanda, ducis desiderio satisfaciendo, se cum rege tractasse nuntiat.*
*(Germanice)*

*Sigill.*

*H B A, B 2, K.394.*

*N. 1886.*

*Vilnae, 20.VI.1563.*

*Petrus Myszkowski, R.P. vicecancellarius,*
*Alberto in Prussia duci*
*litteras regis mittit et significat eas ob regis Virsupos discessum manu propria regis subscriptas non esse.*

*Sigill.*

*H B A, B 2, K.394.*

*N. 1887.*

*Posnaniae, 24.VI.1563.*

*Lucas a Górka, palatinus Calissiensis,*
*Alberto in Prussia duci*
*pro Ursula Lwowska, castellana Covaliensi, et eius sorore, palatina Lanciciensi, in negotio bonorum Mielno.*
*(Germanice)*

*Sigill.*

*H B A, B 2, K.394.*

*N. 1888.*

*Sieprc, 5.VII.1563.*

*Procopius Sieniawski, dapifer Leopoliensis,*
*Alberto in Prussia duci*
*nomine regis Hungariae [Ioannis Sigismundi] ducem salutat.*

*Sigill. Autogr.?*

*H B A, B 2, K.394.*

Illustrissime Princeps *etc.*

Annis iam aliquot transactis, cum in aula Serenissimi Regis Ungarie [1] rei militaris negotio vitam peragebam, cum autem ex Ungaria redeundi in patriam meam animum meum Sacre Regie Maiestati apertissimum declararim, studiose mihi Sacra Regia Maiestas demandata est,[z] in primis ut Vestram Illustrissimam Celsitudinem a Sacra Regia Maiestate inviserim.[z] Cumque in patriam meam reditum meum perfeci et ad Vestram Illustrissimam Celsitudinem ea, que commissa a Sacra Regia Maiestate ad Vestram Illustrissimam Celsitudinem peragenda habui, iter acteperim, ceptum negotium explevisse morte olim Generosi Stanislai a Ostrorog

Lwowski, Capitanei Miedzirzeczensis, consanguinei mei, quem ex hac luce mortis fata sustulerunt, non potui. Ubi posthac, infirmitatibus variis turbatus et detentus, a quibus viribus corporis destitutus existens, ad Vestram Illustrissimam Celsitudinem pervenire non potui, verum ut Vestra Illustrissima Celsitudo animum Sacre Regie Maiestatis per me declaratum habere possit, litteris meis humilimis Vestre Illustrissime Celsitudini ea, que presentia mea coram Vestra Illustrissima Celsitudine oretenus perficere debui, explicare libuit.

Serenissimus enim Rex Ungarie per me, aulicum suum, Vestre Illustrissime Celsitudinis sanitatem invisere demandatus est,[z] in qua ut Deus Optimus Maximus Vestram Illustrissimam Celsitudinem, cum Illustrissima coniuge et tota prosapia Vestre Illustrissime Celsitudinis, diu incolumem foelicemque conservare dignetur, maxime precatur. Et licet Sacra Regia Maiestas nullis antehac neque per nuntium suum, neque litteris suis Vestram Illustrissimam Celsitudinem inviserit, tamen per me, aulicum suum, Vestram Illustrissimam Celsitudinem precatur, ut Vestra Illustrissima Celsitudo animo sinistro erga Sacram Regiam Maiestatem ea non ferat, nec ignorancie ingratitudinique Sacre Regie Maiestatis imputare dignetur. Ratio enim presto est: Sacram Regiam Maiestatem tot tantisque assiduis molestiis et curis fremituque bellorum esse occupatam, a quibus Sacra Regia Maiestas nullo tempore desiit, neque quiescere potuit. Sed Sacra Regia Maiestas erga Vestram Illustrissimam Celsitudinem modis omnibus in animum suum revocando consanguinitatis et mutue amicicie vinculum cum Vestra Illustrissima Celsitudine, ad omnia se paratissimum pollicetur.

Reasumptis itaque viribus sanitatis mee pristine, memor benefitiorum, quibus a Vestra Illustrissima Celsitudine sum prosequutus[z] cumulatissime, cum hec, que a Sacra Regia Maiestate ad Vestram Illustrissimam Celsitudinem commissa habui, explere volui et presentia mea ad Vestram Illustrissimam Celsitudinem actedere, tantaque mihi cogitanti et animus meus ad percipiendum iter paratus erat, Serenissimus Rex Polonie, Dominus meus clementissimus, litteris suis, per cubicularios suos mihi transmissis, ad se me vocare Sacra Regia Maiestas dignata est, ut ad Sacram Regiam Maiestatem, quanto celerius potuissem, obmissis quibusvis, tametsi arduis et oportunis negotiis, me contulerim. Cum his autem litteris meis hunc nuntium ad Vestram Illustrissimam Celsitudinem mittere volui, qui presentia sua in aula Sacre Regie Maiestatis, protunc me in Ungaria presente, famulabatur, qui ea omnia, que eciam litteris meis a Sacra Regia Maiestate ego Vestre Illustrissime Celsitudini manifesta feci, oretenus perficiet, et quantis molestiis negotiisque suis Sacra Regia Maiestas sit detenta, appertissime declarabit. Quem tamen nuncium Vestra Illustrissima Celsitudo, maxime deprecor, sine litteris Vestre Illustrissime Celsitudinis ad Sacram Regiam Maiestatem in Ungariam dimittere non dignetur[z]... Datum ex Sieprcz, 5 Iulii, anno Domini 1563.

Vestre Illustrissime Celsitudinis obsequentissimus
Procopius Sieniawski, Dapifer Leopoliensis.

z) *sic in ms.*
1) *Ioannes Sigismundus.*

*N. 1889.*

*Sieprc, 5.VII.1563.*

*Procopius Sieniawski, dapifer Leopoliensis,*
*Alberto in Prussia duci*
*loricas et cutes ad usum militarem necessarias sibi mitti petit et servitorem suum, natione Hungarum, commendat.*

*Sigill. Autogr.?*

*H B A, B 2, K.394.*

Illustrissime Princeps *etc.*

Cum in Ungaria in aula Sacre Regie Maiestatis 1) rei militaris negotia peragebam, nuncque transacto anno, cum conflictum bellicum magna sane cum clade Sacra Regia Maiestas cum Caesarea Magestate, Serenissimo Ferdinando, habuit, ubi maximam cladem in populo suo Sacra Regia Magestas actepit, in quo conflictu ego pariter cum Sacre Regie Magestatis populo exercitum suum quantumcunque habui, in eodemque conflictu exercitus meus pariter cum exercitu Sacre Regie Magestatis est profligatus, ibique igni arma et apparatus belli, quibus pro mea usus eram necessitate, in nihilum redacta sunt, quare me destitutum ad Vestram Illustrissimam Celsitudinem, Dominum meum clementissimum, confero maximeque deprecor Vestram Illustrissimam Celsitudinem, dignetur Vestra Illustrissima Celsitudo ea me gratia prosequi, ut a Vestra Illustrissima Celsitudine loricas cutesque, ante mihi per Vestram Illustrissimam Celsitudinem promissas, que ad manus mihi non sunt tradite, habere possim, equumque aliquem, qui in subsidium vite mee tempore necessitatis imminentis sit mihi commodissime necessarius, Vestra Illustrissima Celsitudo de sua gratia largire dignetur.

Nam is equus, quem a Vestra Illustrissima Celsitudine habui, quantam laudem in Ungaria sit assecutus, is nunctius, presentium ad Vestram Illustrissimam Celsitudinem ostensor, declarabit manifeste, quomodoque et quibus insidiis et fraude magistri exercitus Sacre Caesaree Magestatis exercitus Sacre Regie Magestatis sit profligatus et in nihilum redactus. Is nuncius Vestre Illustrissime Celsitudini declarabit, qui pro tunc omnibus personaliter in eo ipso belli conflictu interfuit. Tantam enim gratiam et benefitium a Vestra Illustrissima Celsitudine cum fuerim assecutus, me Vestra Illustrissima Celsitudo in eisdem loricis et cutibus ad quevis mandata Vestre Illustrissime Celsitudinis promptissimum et paratissimum habebit, huncque nuncium, quem gens Turcarum miserrime in patrimonio illius depredata est, gratie et beneficio Vestre Illustrissime Celsitudinis studiose et humiliter commendo. Est enim natione Ungarus de nomine Ferens Themesfarski...

Datum ex Sieprz, 5 Iulii, anno Domini 1563.

Vestre Illustrissime Celsitudinis obsequentissimus
Procopius Sieniawski, Dapifer Leopoliensis.

1) *Ioannes Sigismundus.*

N. 1890.

*Sieprc, 5.VII.1563.*

*Procopius Sieniawski, dapifer Leopoliensis,*
*Alberto in Prussia duci*
*rogat, ut dux puerum quendam Hungarum, in aula ducis manentem, remittat, ut eum in Hungariam consanguineis eius tradere possit; nuntium suum, etiam Hungarum, commendat; iustitiam pro socru sua, Ursula Lwowska, et sorore eius expetit.*

*Sigill. Autogr.?*

*H B A, B 2, K.394.*

N. 1891.

*Vilnae, 27.VII.1563.*

*Andreas Patricius [Nidecki]*
*Alberto Friderico, ducis in Prussia filio,*
*admonet eum, ut libros doctorum virorum, quae in bibliotheca Regiomontana inveniuntur, aestimet et conservet.*

*Sigill.*

*H B A, B 2, K.394.*

N. 1892.

*Vilnae, 27.VII.1563.*

*Petrus Myszkowski, R.P. vicecancellarius,*
*Alberto in Prussia duci*
*Christophorum Ionam diutius fortassis in aula regia retentum iri significat.*

*Sigill.*

*H B A, B 2, K.394.*

N. 1893.

*Vilnae, 29.VII.1563.*

*Petrus Myszkowski, R.P. vicecancellarius,*
*Alberto in Prussia duci*
*litteras ducis regi se reddidisse nuntiat; induciis cum Mosco initis minime esse fidendum opinatur.*

*Sigill.*

*H B A, B 2, K.394.*

Illustrissime Princeps *etc.*

Accepi ab Illustrissima Celsitudine Vestra fasciculum cum literis Consiliariorum Illustritatis Vestrae. Etsi autem res, quae fasciculo continebantur, properationem non requirebant, tamen haec tanta Illustrissimae Celsitudinis Vestrae erga me gratia, quam in transmittendis ad me pro-

pere his rebus adhibere voluit, est mihi, sicut esse debet, longe omnium gratissima. Quod ipsum omni meo studio et obsequio Celsitudini Vestrae semper sum declaraturus.

Literas Illustrissimae Celsitudinis Vestrae Maiestati Regiae ipse reddidi. Quas Maiestas ipsius cum attente diligenterque legeret, gratissimo mihi prorsus animo accipere videbatur ea, quae literis ipsis continebantur. Heri eas reddidi, hodie autem Maiestas ipsius Virsupos discessit. Inde factum est, ut hoc tempore Celsitudini Vestrae Illustrissimae non responderit. Respondebit, ut puto, per primum tabellarium. Ego enim cum Maiestatem ipsius neque hodie neque cras redituram esse Vilnam intelligerem, non existimavi mihi esse hunc Illustrissimae Celsitudinis Vestrae nuncium tantisper detinendum.

Apud nos haec sunt. Induciae cum Moscho ad primam usque Novembris diem protractae sunt, quas Moscus ipse ultro Maiestati eius detulisse dicitur. Ego ex his rebus, quae ad me undique afferuntur, ne his quidem induciis Maiestati eius ita fidendum esse existimo, quin illi auctor esse audeam, ut se inde recipiat in Poloniamque primo quoque tempore proficiscatur. Et quoniam literae ad maiores Regni Consiliarios iam sunt dimissae, ut propter unionem Lituanicam Comitia Regni ad festum Michaelis indici possint, ab Illustrissima Celsitudine Vestra maiore quo possum studio peto et quaeso, ut auctoritate sua meum hoc institutum adiuvet Maiestatemque Regiam iterum atque iterum per literas admoneat, uti sui in his temporibus rationem maximam habeat, et cum eas regiones specie induciarum istarum aliquomodo firmaverit, sibi ipsa quoque et caeteris rebus consulat, seque in Poloniam primo quoque tempore recipiat... Cui incolumitatem et felicitatem omnem a Domino Deo opto. Datum Vilnae, XXIX Iulii, MDLXIII.

[a] Illustrissimae Celsitudinis Vestrae
obsequentissimus servitor
Petrus Miskowski, Vicecancellarius.[b]

a)-b) *manu propria.*

*N. 1894.*

*Posnaniae, 3.VIII.1563.*

*Lucas a Górka, palatinus Calissiensis, capitaneus Buscensis,*
*Alberto in Prussia duci*
*salvum conductum petit servitori suo, Ioanni Chabelski, quem in certis negotiis suis in Prussiam ad Ernestum Weier mittit.*
*(Germanice)*

*Vest. sigilli.*

*H B A, B 2, K.394.*

*N. 1895.*

*Vilnae, 13.VIII.1563.*

*Ioannes Dulski, capitaneus Rogosnensis,*
*Alberto in Prussia duci*
*suum olim servitorem, nunc autem « drabantem » regium, Machwitz, commendat.*
*(Germanice)*

*Vest. sigilli.*

*H B A, B 2, K.394.*

*N. 1896.*

*Vilnae, 27.VIII.1563.*

*Petrus Myszkowski, R.P. vicecancellarius,*
*Alberto in Prussia duci*
*de negotio limitum, quibus ex causis confici non potuerit, ducem ex litteris regiis cogniturum esse significat; de ovibus gratias agit; de litteris regis ad ducem germanico sermone scriptis sibi constare asserit.*

*Sigill.*

*H B A, B 2, K.394.*

*N. 1897.*

*Vilnae, 28.VIII.1563.*

*Sebastianus Czapski*
*Alberto in Prussia duci*
*de designandis commissariis ad regundos fines inter Magnum Ducatum Lithuaniae et Ducatum Prussiae.*
*(Germanice)*

*Sigill.*

*H B A, B 2, K.394.*

*N. 1898.*

*Torunii, 8.IX.1563.*

*Ioannes Służewski, palatinus Brzestensis, et Ioannes Krotoski, palatinus Inovladislaviensis,*
*Alberto in Prussia duci*
*significant se iam paratos esse ad incursionem Erici ducis Brunsvicensis in terras Prussiae repellendam consiliumque ducis ea in re requirunt.*

*Vest. sigilli.*

*H B A, B 2, K.394.*

Illustrissime Princeps *etc.*

Ex terrarum Prussiae Dominis, amicis nostris observandis, percepimus Ericum Ducem Brunsvicensem et Luneburgensem, magna comitante militum Germanorum caterva, has terras Prussiae iam ingressum et sine dubio civitatem Gedanensem obsidione cinxisse. Cum autem hac ex re incommoda Sacrae Regiae Maiestatis, Domini nostri clementissimi, certo certius praevideamus, simulque sciamus Celsitudinem Vestram cognatione et amicitia singulari reverenter nominatae Sacrae Regiae Maiestati coniunctam et addictam esse, ad Celsitudinem Vestram in harum rerum confusione nos, fidelissimi Sacrae Regiae Maiestatis subditi et consiliarii vigilantissimi, scribendum maximopere existimavimus, certificantes eandem nos, pro temporis angustia, iam circa septem vel octo millia homi-

num collegisse et ad pugnandum pro commodis Sacrae Regiae Maiestatis, Domini nostri clementissimi, proque terrarum Prussiae salute paratos esse. Cum autem hac in re consilio et instructione normaque indigeamus, summo studio ardenter petimus, velit Celsitudo Vestra maturo communicato consilio nobis clementer adesse, quaque via et modo aggrediendum, nos (qui ex consilio Celsitudinis Vestrae iam haeremus) certiores reddere. In nobis mora omni tempore pro viribus pugnandi non erit ulla. Id nos quibus poterimus studiis Celsitudini Vestrae, Domino nostro gratioso, fideliter reponemus... Datum Torunii, in ipsis feriis Nativitatis Sanctae Mariae, anno MDLXIII.

Celsitudinis Vestrae deditissimi
Ioannes a Sluzewo, Palatinus Brzestensis,
[a] manu propria [b]
[a] Jan s Krotosina, Vojevoda Wloclawski, reka wlasną.[b]

a)-b) *manu propria.*
z) *sic in ms.*

*N. 1899.*

*Vilnae, 13.IX.1563.*

*Petrus Myszkowski, R.P. vicecancellarius,*
*Alberto in Prussia duci*
*de termino regundorum finium inter Magnum Ducatum Lithuaniae et Ducatum Prussiae prorogando.*

*Sigill.*

*H B A, B 2, K.394.*

*N. 1900.*

*Strożе, 21.IX.1563.*

*Spytek Jordan de Zakliczyn, palatinus Cracoviensis,*
*Alberto in Prussia duci*
*de ducis Brunsvicensis, non rogati, in fines Regni cum exercitu et apparatu bellico ingressu.*

*Sigill.*

*H B A, B 2, K.394.*

Illustrissime Princeps *etc.*

Ex litteris Illustrissime Celsitudinis Vestre, tum aliorum, intelexi Illustrem Ducem Brunsvicensem [1] in ditionem bonaque Regni Poloniae cum apparatu bellico atque exercitu armato intrasse, iamque Gedani, ut auditur, portas inspicere, et quid ibi vult, nescitur, cum a Sacra Regia Maiestate neque a Republica aliquando sit offensus, quod ulcisci deberet. Si servire Sacrae Regiae Maiestati (ut ille dicit) vult, et hoc mirum esset venire non rogatus, tam magnam cathervam hominum suis impensis alens, neque sciens mentem Sacrae Regiae Maiestatis, an sit gratus Suae Maiestati eius huiuscemodi adventus. Sed nihil aliud fortassis ille intendit, quam ut aliquid hostile faciat, prout iam facit, nam non actepta licentia, in Regnum cum exercitu bellico est ingressus, cui omnino resi-

stendum est, quanto celerius fieri potest, ne subsidium illi, durius nobis veniat. Non enim possibile est suo Marte et facultatibus propriis confidendo, ipsi Principi hanc provinciam assumere. Quod si Sua Regia Maiestas aliquos secum tractatus habeat, penitus non solum ipse, verum multorum nomine dicere possum, quod de his neque scimus, neque audivimus. Immo si in medium Senatorum ea proponerentur, non laudaremus huiusmodi Principem, scilicet ignotum nullaque penitus affinitate vel sanguine Regiae Maiestati iunctum, cum tanto exercitu in auxilium trahere et impensam, Almanis dari solitam, sine necessitate distribuere, neque id creditu dignum Maiestatem Suam sine consilio senatorio ipsum Ducem hic vocasse, nam id ex litteris Suae Maiestatis, pridie mihi datis, intellexi. In quibus miratur tunc ipsum Ducem in Pomeraniam venisse, et quid sibi velit depactatio Principum Pomeraniae, aut quid agendum erit, si in ditionem Regiae Maiestatis veniret, nos consuluisse. Quibus Sacrae Regiae Maiestatis litteris responsum meum statim est remissum, immo per me eadem Maiestas est obnixe rogata, ut bellum generale statim sine consuetudine restium moveat et hunc hostem, vel alium quempiam, si ex parte aliqua fuerit insultus, e Regno et dominiis suis expellat. Sacius etenim nunc et utilius iam facere quam deliberare, inimico iam terram vastante et obsidionem urbium faciente.

Quantum vero mei muneris erit, certum sit apud Illustrissimam Celsitudinem Vestram, quod cum suo palatinatu Cracoviensi nullam moram faciam, si Maiestas Regia id mihi mandare dignabitur. Rumores etsi sparguntur, quae [z] etiam Illustrissimam Celsitudinem Vestram minime latent, ut ex eius litteris intellexi. Quod non essent, dicere non possum, sed an sint veri, dubitatur. Verum si quis huic Regno Poloniae inclyto aliquid mali moliri vel inferre vellet, certus sit Polonos pro eorum libertate tam strenue agere atque dimicare, ut probos decet milites. Non dubitamus etiam Illustrissimam Celsitudinem Vestram omnem operam pro nobis daturam consilioque et auxilio esse futuram, si quid tandem certi ex rumoribus audiverimus, id cum etiam sit necesse Regno, ut Illustrissima Celsitudo Vestra sciat, non erit Illustrissimae Celsitudini Vestrae ex parte mea ignotum... Datum in Stroze, 21 Septembris, anno 1563.

Eiusdem Vestrae Illustrissimae Celsitudinis
servitor addictissimus
Spitek Jordan de Zakliczin et in Melstin heres,
Palatinus Cracoviensis Generalis, Premisliensis,
Camenacensis, Czechoviensis etc., Capitaneus,
manu propria subscripsit.

z) *sic in ms.*
1) *Ericus.*

*N. 1901.*

*Vilnae, 11.X.1563.*

*Petrus Myszkowski, R.P. vicecancellarius,*
*Alberto in Prussia duci*
*de recuperata ducis valetudine gaudet.*
*Sigill.*
*H B A, B 2, K.394.*

*N. 1902.*

*Kryłów, 20.X.1563.*

*Stanislaus Ostroróg, castellanus Międzyrzecensis,*
*Alberto in Prussia duci*
*per servitorem suum, Ioannem Appium Polej, ducem salutat et certa postulata sua duci exponit.*

*Sigill.*

*H B A, B 2, K.394.*

*N. 1903.*

*Iłża, 21.XI.1563.*

*Martinus Zborowski, castellanus Cracoviensis,*
*Alberto in Prussia duci*
*de clade exercitui Demetrii Wiśniowiecki a Turcis illata; de morte eiusdem Wiśniowieki in Turcia et Iacobi Heraclidis Basilici in Suceava obsessi.*

*Sigill.*

*H B A, B 2, K.394.*

Illustrissime Princeps *etc.*

Redditae mihi sunt nonnullo temporis intervallo binae literae Illustrissimae Celsitudinis Vestrae. Quarum alterae, in Russia redditae, nullum responsum referre potuerunt propter molestissimas tum temporis occupationes. Ex his vero nunc redditis insignem, nunquam tot annis intermissam erga me (servitorem Illustrissimae Celsitudinis Vestrae minimum) familiamque meam, benevolentiam probe perspexi, indeque non exiguum gaudium et consolationem percepi, cum animum Illustrissimae Celsitudinis Vestrae erga me, alumnum eiusdem, a prima adolescentia benevolum, non solum non extinctum, verum enimvero longe auctum inclinatissimis in familiae meae decus et ornamenta affectibus animadvertam. Pro quo tam plane in me meosque propenso animo nulla sane nedum merita, verum ne gratiarum actiones quidem tanti unquam esse poterunt, ut vel minima ex parte tam insigni benevolentiae Illustrissimae Celsitudinis Vestrae respondere queant. Quod igitur in potestate est, Deum immortalem orare non desistam, ut hanc Illustrissimae Celsitudinis Vestrae gratiam (eidem omnia pro votis foelicissime concedendo) sua recompenset.

Quod ad Illustrem Moldaviae Principem [1] Wisniovieciumque [2] attinet, Illustrissima Celsitudo Vestra, pro summa, qua praedita est prudentia, probe animadvertit utriusque salutem inclyto huic Regno Poloniae commodissimam summoque emolumento fuisse, cum quod Moldavia nunquam tam insignem habuerit Principem, Regnum vero Poloniae feudatarium, quandoque Reipublicae Christianae magno commodo cessurum, si pristino restitui potuisset imperio, tum quod Wisniowiecki inter multos praecipuus dux contra Moschum futurus erat, in eoque non exigua spes victoriae ponebatur. Clades autem haec (qualis vix hominum memoria tot cruentis cum potenti hoste bellis illata genti nostrae fertur)

annon maxime deploranda est? Si rationem eius perpendamus, nulla profecto aetate nostra maior, nocentior magisque incommoda accidit, ne tum quidem, cum ardentissimis utrinque animis flagrantissimum cum eadem Walachiae provincia Regno Poloniae esset bellum. Alberti Regis tempore dolo Walachorum nostri clade insigni oppressi fuerant. Haec moderna omnibus dolendis modis superavit illius adhuc hominum animis insitam acerbitatem. Nam quod factum antea, nunquam universae copiae eaeque non exiguae profligatae sunt, partim caesus, partim captus miles, sic ut ne nuncii quidem cladis superfuerint, nisi hostes foedissime nova faeritate mutilatos quosdam testes et cladis suae et illorum truculentiae dimisissent, aut igitur caesi aut capti fere omnes. Captivi pars foede mutilati, pars una cum Duce Wisniowiecio (quod ante factum nunquam) ad Portam Imperatoris Turcarum[3] missi sunt. Unde quis non videt, nunquam vel cladem vel ignominiam parem nationi Polonae illatam? De Wisniowiecki quid aliud scribam non habeo, mortuum pro certo ferunt, dum ad Turcarum Imperatorem veheretur: aeger sane erat, aegerque nescio cuius instinctu contra fas provinciam illam ingressus miser erat.

Quod ad Despotam attinet, is quorundam studiis consiliisque exterorum a subditis proditus est, caeso, quem in castra Walachorum miserat, mercenario milite, obsessus deinde in Soczawa, magno animo se tutatus est, et saepissime eruptionibus proditores afflixit, unde non exiguum magni animi militarisque scientiae praebuit specimen. Ferunt iam a suis, qui in praesidio una erant, his proditoribus deditum vitam amisisse. Sed nondum id affirmare ausim, cum praefecti bonorum meorum, quae in ipsis Walachiae finibus habeo, nil mihi necdum significarint. Quod ad me attinet, non est visum nec Regiae Maiestati, nec caeteris proceribus, esse illi ferendum auxilium, ne videatur violari foedus cum Turca, quod iam forsan Wisnioviecii conatibus violatum videtur. Equidem dignus fuisset auxilio Despotas, vir tam militaris, Reipublicae Christianae aliquando profuturus, cuius causa magis afficior quam domestico dolore. Nemini sane finitimorum nocuit, indignus, in quem vicini, de quibus semper bene mereri studebat, subditos eiusdem ad rebellionem animarent. Cuius rei seriem malo, data occasione, ipse coram Illustrissimae Celsitudini Vestrae aperire, quam re tantam chartis credere. Quod si Illustrissima Celsitudo Vestra Warsoviam tempore horum Comitiorum invisere dignabitur, magno inde afficiar gaudio, qui et Illustrissimam Celsitudinem Vestram visurus sim, et coram studium meum erga eandem ostensurus, tum etiam multa (maximeque in hac causa) scitu pernecessaria narraturus. Sin minus ibi licebit per absentiam Illustrissimae Celsitudinis Vestrae, dabo operam, ut vel ipse vel per amicum quemquiam Illustrissimam Celsitudinem Vestram invisam, de singulisque certiorem faciam... Datae in Iłża, 21 Novembris, anno Domini 1563.

Illustrissimae Celsitudinis Vestrae servitor
Martinus Zborowski, Castellanus Cracoviensis,
[a] manu propria subscripsit.[b]

a)-b) *manu propria.*
1) *Iacobus Heraclides Basilicus.*
2) *Demetrius Wiśniowiecki.*
3) *Solimanus II.*

*N. 1904.*

*Rigae, 7.XII.1563.*

*Christophorus Konarski*
*Alberto in Prussia duci*
*rogat, ut dux regem inducat ad stipendia militibus germanicis persolvenda, qua de re melius a consiliario et oratore suo, Friderico Kanitz (Canitz), edocebitur.*
*(Germanice)*

*Vest. sigilli.*

*H B A, B 2, K.394.*

*N. 1905.*

*Varsaviae, 26.XII.1563.*

*Petrus Myszkowski, R.P. vicecancellarius,*
*Alberto in Prussia duci*
*Alexandrum Suchtenium, a duce sibi commendatum, se nondum vidisse nuntiat.*

*Sigill.*

*H B A, B 2, K.394.*

*N. 1906.*

*s.l., s.d. [1563]*

*Gregorius Chodkiewicz, castellanus Trocensis,*
*Alberto in Prussia duci*
*transmittit scriptum, continens summarium relationis Simonis Ioannidis Bujnov, ex qua sequitur magnum ducem Moscoviae [Ioannem IV Basilidem] in persona ad oppidum Velikije Luki pervenisse; copiarum Moscoviticarum magnam vim esse, inter quas permultos Tartaros, brevi ad Nevelam et Polociam perventuros.*
*(Probabiliter versio ex lingua latina)*

*H B A, B 2, K.394.*

Kundtschafft, so der herr von Trocken von sich geschickt.

Die rede des Siemona Jwanowicza Buynowa, welcher heut am Sontage den 17 Januarii aus dem lager und hoff des grosfursten in der Moschkaw von Grossluck khummen hat erstlich gesagt, das der grosfurst selbst personlich gen Lucka am abendt der Heiligen Drei Khunige ankhummen. Des krigsvolcks sol grausam viel sein, doch wievil irer an der zael ist, kan man noch nit wissen, dan man sie noch nit ubersehen, auch nit beschrieben. Allein meldet das die gemeine rede, irer sollen dreimal hunderttausent zue ross sein ohne die fusgenger und schutzen und die das geschutz, pulver, kugeln beleithen; derer sagt er sein posochy achtzigktausent. In summa es sol ein solch krigsvolck beieinander sein, das noch niemals ein solche vorsamlung des Moschkowittrischen volcks in irgendt einem orth beieinander gewesen. Dan er ist mit aller macht seiner lennder ausgezogen. Aus jder sorhy hat er 4 menner genuhmen. Mit diesem seinem

ganzen hauffen ist der grosfurst auf kunftigen Donnerstagk ausgezogen und auf den Sontagk soll er gewislich zue Nevel sein, hart an der granizen, von Poloczko nur 20 meilen. Alda wirt er das volck zelen und beschreiben und dennechsten auf Poloczko ziehen und schicket erstlich die leichten ross Muschkowitter und Tattern zuvoraus das schloss zue berennen und auszukundtschafften. Vom geschutz saget er, das er hab mittel und gemeine stuck anderthalb hundert und der grossen mauerbrecher in die funfzigk, calckonetlein, karthaunen, falck, zwene sone mit der stiffmutter, adler beer und darzu andere grosse geschutz mehr; morssel, futterung auf sich und die ross fuhren sie mit, das sie haben auf wochen Poloczko zue belagern. Und wan die fordersten werden belagert haben, sollen sich die hindersten, welcher ein grosser haufen, furdern, dan sie kunnen wegen des geschutzes nit gleich ziehen. Er sagt, an sieben grossen stucken zihen 7000 man zue fus. Undter den Muschkowittern sollen sehr viel Tattern sein undter dem bevhelich Czarsewiczow, Kozienski Simon, Czarsewicz Baykula, Czarsewicz Behbulaty, Czersewicz Nohastky, sunderlich die Kasanischen Tattern, Kassimowsky,[1] Radomsky,[2] Temnikowskie, Mieschzersky, Mordua, Borthniky, Donczanie, Czemierissa,[3] Wiathsanie, Korkowczi, Czerkasczi, Pieczihorczi und alle muschkowittrischen fursten und alle herren, von den eldesten anzufangen bis auf die jungsten, darundter auch des grosfursten bruderns sohn, der furst Wlodzimir und der furst Kemrukowicz sollen das schloss und stadt Poloczko erobern mit feuerkugeln. Die wende sollen sie zuschissen und sturmen. Derhalben hatt man gebotten, das ein jder solt haben 10 seckel, da in einen jeden seckel zwen hutt vol erde gehet; damit sollen sie die schantzkorbe ausfullen. Dises volcks soll man sich auf kunftige wochen zue Polotzko vorsehen oder eher. Und weil sie zue Polotzko und in unsers herren lande ligen werden, soll der grosfurst zue Nevel bleiben.

1) *Kassimow.*

2) *probabiliter: Kadomskij*

3) *Czeremis.*

# 1564

*N. 1907.*

*Varsaviae, 12.I.1564.*

*Iacobus Pretwicz, capitaneus Trembovlensis,*
*Alberto in Prussia duci*
*pro benevolentia patri suo olim exhibita gratias agit, quo orbatus patrocinium ducis pro se expetit, servitia offert; Tartarum una cum uxore dono mittit,* « dormit sich auch ihn E.F.D. diese natyon vormehre ». *(Germanice)*

*Sigill.*

*H B A, B 2, K.395.*

*N. 1908.*

*Varsaviae, 25.I.1564.*

*Christophorus Lasota a Łopiennik*
*Alberto in Prussia duci*
*canem venatorium ex canili suo dono mittit.*
*(Germanice)*

*Vest. sigilli.*

*H B A, B 2, K.395.*

*N. 1909.*

*Vilnae, 1.II.1564.*

*Eustachius Wołłowicz, marsalcus curiae, thesaurarius M.D.L. et notarius regius,*
*Alberto in Prussia duci*
*de copiis Moscovitarum ab exercitibus Lithuanicis ad oppidum Czaśniki profligatis et multis ductoribus in captivitatem abductis.*
*(Cum adiuncto in separata schedula elencho ductorum cohortium Moscoviticarum)*

*Vest. sigilli.*

*H B A, B 2, K.395.*

Illustrissime Princeps *etc.*

Discedens [a] ab hinc servitor Illustrissimae Celsitudinis Vestrae, civis Regiomontanus, Dominus Hyeronimus Enimvaldus, reddidit me certiorem

de profectu suo ad Illustrissimam Celsitudinem Vestram. Itaque (nacta praesertim occasione) nolui eum absque litteris meis mittere, quibus Illustrissimae Celsitudini Vestrae, Domino mihi colendissimo, significo Moschovitarum copiarum, quae ex Poloczk ad devestanda[z)] dominia Śacrae Regiae Maiestatis Magni Ducatus Lithuaniae expeditae erant, 24 millia 26 Ianuarii ab exercitibus Sacrae Regiae Maiestatis Lithuanicis circa fluvium Ule, non remote a civitate Magnificae Dominae Kisczina, Palatinisae Withepcziensis, Czassniki, divina favente clementia profligata et caesorum Moschovitorum decem millia in area relicta esse. Ex nostratibus vero ad decem homines caesi non sunt numerati.

Huius exercitus hostilis summus praefectus erat Petrus Suyski, qui fugae dedit. Cohortum quoque ductores hi erant, quos ego in scheda conscriptos Illustrissimae Celsitudini Vestrae mitto. Ex his duo praesertim, Zachara Iwanowicz Plesczeiow, alter Paleczki, (comissis multis captivis, non postremae conditionis hominibus) in captivitatem ducti. Praeterea curruum Moschovitorum circa tria millia, commeatibus caeterisque apparatibus bellicis onerata, in usum exercitus nostri Lithuanici redita, atque loricarum aliquot millia nacta sunt. Id meis aperire litteris Illustrissimae Celsitudini Vestrae, Domino mihi clementissimo, in animum induxi... Datum Vilnae, prima Februarii, anno Domini 1564.

Illustrissimae Celsitudini Vestrae deditissimus
Eustachius Wolowicz, Marschalcus Curiae Sacrae Regiae Maiestatis, Thaesaurarius[z)] Magni Ducatus Lithuaniae, Notarius Sacrae Regiae Maiestatis etc.

*Schedula adiuncta:*

Ductores cohortum Moschovitarum:
Primae cohortis Zachara Iwanowicz Plesczeiow
Secundae Petrus Suyski
Tertiae Iwan Wassiliewicz Seremiethow
Quartae Siemion Wassiliewicz Jakowlew
Quintae Fiedor Iwanowicz Tathew
Sextae Iwan Ochlebin
Septimae Iwan Okin Plesczeiow
Octavae Jakow Fiederowicz Sambolczin.

a) *in ms.* Discidens
z) *sic in ms.*

*N. 1910.*

*Varsaviae, 25.II.1564.*

*Nicolaus Radziwiłł, palatinus Vilnensis,*
*Alberto in Prussia duci*
*per Ioannem Mączyński, secretarium suum, mittit librum Evangelii polonico sermone editum.*
*(Schedula agglutinata)*
*Sigill.*
*H B A, B 2, K.395.*

Illustrissime Princeps *etc.*

Prodiit non ita pridem ex mea Brzestensi typographica officina sacrosanctus Bibliorum liber in Polonico sermone, sumptibus quidem meis, sed opera doctissimorum quorundam virorum Germanorum, Gallorum et

Polonorum ex ipsis fontibus interpraetatus,[z] et quidem prodiit sub nomine et titulo Sacrae Regiae Maiestatis, Domini mei clementissimi, consobrini vero Illustrissimae Celsitudinis Vestrae charissimi. Etsi autem probe intelligebam sacrum hunc librum Illustrissimam Celsitudinem Vestram hoc sermone legere non posse, et in Latina vel in sua lingua habere et legere interpraetaciones[z] perquam luculentas, non alienum tamen me facturum esse existimavi a fide et observancia mea in Celsitudinem Vestram, tum et nec alienum ab illius in veram pietatem studio atque affectu singulari, si hunc librum illi ad illius bibliotecam mitterem, mnimosinon scilicet atque testimonium, ut dico, obsequentissimi addictissimique mei in Illustrissimam Celsitudinem Vestram studii, officii et observanciae. Non enim dubito, quod studium Illustrissima Celsitudo Vestra magnis, claris et illustribus monumentis ad propagacionem Evangelii in his nostris regionibus attulit, quin in hac eius optima et ingravescente aetate haec res sit aliquam consolacionem illi allatura, quod homines harum regionum sacrosanctum hunc librum suo sermone legere et scrutari Scripturam, et exinde veram imbui religionem, poterint. Quo beneficio Polonia a suscepta et professa fide christiana[a] hactenus caruit.

Hunc itaque librum mitto Illustrissimae Celsitudini Vestrae per hunc notarium et secretarium meum, Ioannem Mączinsky, illi et notum et toto pectore addictum servitorem. Ac una coniungo suplices et devotas preces ad viventem in omni aeternitate Deum, Patrem Domini nostri Iesu Christi, per hunc aeternum, naturalem et consubstancialem Filium eius, Deum scilicet verum de Deo vero et verum lumen de lumine in utriusque Spiritu, ut et colligat, protegat et servet sibi Ecclesiam in his regionibus, quae illum in omni aeternitate glorificet atque celebret. Quin et de hoc ipse eidem perpetuo viventi Deo gratias ago, qui nobis dedit voluntatem, dedit et perficiendi huius operis facultatem. Non enim mecum aliter statuo, quam quod a praepotenti et liberali manu Dei hic liber nobis sit porrectus, tanquam summi sui in nos, harum regionum homines, qui hac lingua utimur, favoris benignitatisque et propitiationis[b] monumentum. Atque hanc meam gratitudinem erga tam illustre et insigne Dei beneficium apud Illustrissimam Celsitudinem Vestram, Principem scilicet in his nostris regionibus populi Dei, testatam relinquo, ut scilicet quemadmodum ego de Celsitudine Vestra Illustrissima saepe mecum gratulari solitus sum, quod Dominus Deus per illius medium atque instrumentum res praeclaras, principe viro dignissimas, non minus in civili politia, quam in Ecclesia gessit et adhuc gerit, cuius rei ipse sum locupletissimus testis, ita et ego mei affectus atque studii in salutarem Ecclesiae Dei institutionem propagacionemque habeam olim in iudicio Dei Illustrissimam Celsitudinem Vestram testem etc.

Caeterum idem secretarius meus eo consilio se Regiomontem confert, ut cum typographo Taubmanno de impraesso[z] suo libro, Latino-Polonico lexico, iuxta quam[z] inter eos pactum et conventum est, transigat et librum tandem scholis necessarium et perutilem, adiectis eis, quae adiicienda in praefacione sunt, publicet. Qua in parte si gratiam et autoritatem Illustrissimae Celsitudinis Vestrae contra eundem typographum imploraverit, non enim omnia ad rationem et praescriptum inter eos initi contractus dicitur adimplevisse, quin et plura exemplaria, ut quidam volunt, quam conventum erat, impressisse, rogo atque oro, ut clemens et benignus illi favor Illustrissimae Celsitudinis Vestrae in hac parte adsit. Fecit enim magnos ad eam rem sumptus, quos non ita facile recuperabit, si typographus non omnia ei exemplaria tradiderit, reservaverit vero earum[z] aliquam pro se in huius detrimentum partem. Id,

quod Illustrissimam Celsitudinem Vestram et rei ipsius aequitate et clementissimae suae in hunc voluntatis respectu facturam minime dubito. Quod restat et restare quodammodo videretur, dedi negocium huic eidem servitori meo Mączinsky, ut meo nomine invisat valetudinem Celsitudinis Vestrae Illustrissimae et meum gaudium et congratulacionem explicet, quam de dubiae valetudinis in meliorem conversione vere et ex animo concepisse me Dominus scit. Cuius Maiestatem suplex oro, ut eandem illi stabilem et constantem in quam plurimos adhuc annos esse velit et iubeat. Datum Warschawiae, XXV Februarii, anno Domini 1564.

Illustrissimae Celsitudinis Vestrae
[c] **servitor**
**Nicolaus Radzywyl etc. subscripsit.**[d]

*Schedula adiuncta:*

Commisimus praeterea quaedam oretenus huic secretario meo Illustrissimae Celsitudini Vestrae referre. Cui fidem adhibere non dedignabitur.

Idem, qui in litteris
[c] **Nicolaus Radzywyl etc. subscripsit.**[d]

a) *in ms.* christianam
b) *in ms.* proitiationis
c)-d) *manu propria.*
z) *sic in ms.*

*N. 1911.*

*Zamek, 1.III.1564.*

*Stanislaus Ostroróg, castellanus Międzyrzecensis,*
*Alberto in Prussia duci*
*Fridericum Canicium (Kanitz) in quadam eius causa commendat.*
*Sigill.*
*H B A, B 2, K.395.*

*N. 1912.*

*Varsaviae, 20.III.1564.*

*Sebastianus Ciechański*
*Alberto in Prussia duci*
*mittit aliqua nova de legatis ad imperatorem et ad Turcas missis, de Tomża, de legatis Tartarorum Perecopensium etc.*
*Vest. sigilli. Autogr.*
*H B A, B 2, K.395.*

Illustrissime Princeps *etc.*

Cum his meis litteris Illustrissimae Celsitudini Vestrae hasce litteras Domini Nicolai Rey mitto,[*] ex quibus illa intellectura est.

Quod vero attinet Comitiis,[z] hae nondum, Illustrissime Princeps, finem[a] suum acceperunt. Sola Regia Maiestas cum summa nunc diligentia, uti in peremptorio termino, cum executione procedit et illi assidet a hora 7 usque ad horam 3.

Legati ad Imperatores, tam Romani Imperii[1] quam Turtiae,[2] iam sunt ablegati. Legatus a Thomssa,[3] Palatino[b] olim Walachiae, die 17 Martii advenit. Post illum alius Alexandri.[4] Quid volunt hii, nondum audientiam habuerunt. Legati Caesaris Tartarorum nomine Przekopskich, quorum numerus erat 600, audientiam die 19 Martii habuerunt in haecque verba coram Regia Maiestate publice proponebant, dicens[z] Imperatorem Turcarum terram Walachiae in animo haberi[z] possidere et iam exnunc serio illi imperare. Igitur quoniam tam prope is erit Regno Poloniae in[c] vicinio, timendum est, ne posthac aliquid ex hoc accideret. Offerens ad hoc etiam Sacrae Regiae Maiestati suum Caesarem ad omnia obeunda servitia una cum exercitu suo erga quemcunque hostem regium paratum fore[c] illic, quocunque Sua Regia Maiestas voluerit. Posthac unus quisque eorum, plus quam 40 Tartari, elevando sthrophiollas, offerebant pro dono Suae Regiae Maiestati, a quibus sunt accepte.[z]

Mittoque Illustrissimae Celsitudini Vestrae copiam litterarum Domini Procopii Szieniawski, quam Consules Leopolienses miserant Domino Palatino Russiae. Illustrissima Celsitudo Vestra intellectura est, quo in statu versatur et ubi, tanquam exul, Thomssa Palatinus Moldaviae, et quid Alexander facit in terra Walachiae.

Hodie iterum in Senatu inceperunt a spiritualibus, qui omnia sua diplomata, tam Papae quam regalia, in revisione debent poni,[z] quomodo et quo iure bellum statuere non debent, vel quo etiam titulo bona regalia tenent.

Offitium cancellariatus adhuc vacat. Cui dabitur, adhuc nescitur. Sacra Regia Maiestas per festa Paschae hic mansurus et, Deo volente, bene valet laetoque animo est et pecuniam nunc habet.

Illustrissimus Princeps noster Megapolensis etiam, Deo[d] favente, bene valet et 17 Martii a bisontis feliciter iterum Warssoviam venit. Plura non sunt, Illustrissime Princeps. Si posthac aliquid erit, Illustrissimae Celsitudini Vestrae, tanquam Domino meo clementissimo, cum summa mea diligentia, et quam citissime potuero, communicabo... Warssoviae, 20 Martii, anno 1564.

Domini Legati Illustrissimae Celsitudinis Vestrae audientiam nondum habuerunt.

Illustrissimae Celsitudinis Vestrae servitor
Sebastianus Cziechaniski
manu propria.

a) *in ms.* finum
b) *correctum ex*: Palatini
c) *supra lineam.*
d) *sequitur expunctum*: vol
z) *sic in ms.*
*) *annexa desunt.*

1) *Stanislaus Karnkowski.*
2) *Georgius Jazłowiecki.*
3) *Stephanus Tomża (Tomsza), pal. Moldaviae usque ad mensem Ianuarium 1564.*
4) *Alexander Lapušneanu, successor Stephani.*

*N. 1913.*

Varsaviae, 12.IV.1564.

*Petrus Myszkowski, R.P. vicecancellarius,*
*Alberto in Prussia duci*
*Sebastiano Ciechański, a duce sibi commendato, finitis comitialibus negotiis omnem operam et auxilium se esse praestiturum promittit.*

*Sigill.*

*H B A, B 2, K.395.*

*N. 1914.*

*Varsaviae, 13.IV.1564.*

*Sebastianus Ciechański*
*Alberto in Prussia duci*
*varia nova ex aula regia mittit.*

*Sigill. Autogr.*

*(Schedula de itinerario regis ex Varsavia in Lithuaniam et annexa: I. Revisores bonorum regalium deputati pro anno 1564; II. litterae primae restium Sigismundi Augusti de die 6.IV.1564, typis impressae; III. litterae Sigismundi Augusti de die 6.IV.1564, polonice, typis impressae, Comitia in negotio unionis Lithuaniae cum Regno Poloniae indicentes).*

*H B A, B 2, K.395.*

Illustrissime Princeps *etc.*

Nunc primum a Reverendo Domino Vicecancellario [1] has litteras ad Illustrissimam Celsitudinem Vestram scriptas accepi et instanti, quam citissime potui, hunc veredarium una cum litteris ad Illustrissimam Celsitudinem Vestram ablegavi. Mittoque etiam una Illustrissimae Celsitudini Vestrae, Domino meo clementissimo, has chartas, ex quibus Illustrissima Celsitudo Vestra potest colligi,[a] quid in eis sonat.

Nova haec sunt, Illustrissime Princeps: Thomssa una cum uxore sua et Moczuk Leopoli in captivitate, et omnia ipsius bona, id est thesauros abmoverunt ab illo.

8 Aprillis Illustrissimus Dux Christopherus,[2] una [b] cum tribus servitoribus suis, est missus versus Rawam. Commitabantur Suam Celsitudinem 6 aulici. Hoc etiam sciat Illustrissima Celsitudo Vestra, quod inventus est apud Suam Celsitudinem in cista funis, alias stryk, magnae longitudinis, ad quem usum, sane non possum scire. Sua Regia Maiestas illum vidit et in manu sua habuit.

Eodem die Dux Szlucensis [3] conquestus est in Senatu publice contra Comitem a Thenczin,[4] quod vi ingressus est et manu armata possidet bona omnia mortui Comitis a Thenczin.[5] Dominus vero Miskowski,[6] Capitaneus Cracoviensis, tanquam absentem Comitem excusabat.

10 Aprillis Legatus Thurcicus advenit.[7]

11 Aprillis Alexandri Palatini Moldaviensis [8] Legatus audientiam coram Senatu et Rege habuit privatim.

Eodem die Legatus Pontificis [9] una cum Episcopis Cuiaviensi,[10] Chelmensi [11] et Vicecancellario apud Episcopum Poznaniensem [12] in convivio fuit et tractabatur ab illo bene.

Hodie vero Legatus Imperatoris Thurcarum reverenter est in Senatu susceptus et a Regia Maiestate coram tribunali auditus. Quid eo proponebat, scire non possum. Nemo illic fuit praeter his,[z] qui sunt vocati in concilium. Sed sic audio, quod de isto Thomssa res agitur. Si posthac resciero aliquid, Illustrissimae Celsitudini Vestrae omnia communicabo.

Hoc etiam sciat Illustrissima Celsitudo Vestra Sacram Regiam Maiestatem iter 27 Aprillis ad Bielsko facturum. Lituani, ut audio, nullunt [z] ad Bielsko venire ad haec Comitia futura. Dicunt contra privilegia ipsorum esse. Sed spero Wilnam profecturum.

Adhuc Sua Regia Maiestas quotidie in Senatu suo[c] in relationibus assidet. Pauci iam Domini sunt et brevi posthac nullus erit. Plura non sunt, Illustrissime Princeps... Varszoviae, die 13 Aprillis, anno 1563.[z]

Illustrissimae Celsitudinis Vestrae
servitor
Sebastianus Cziechaniski manu propria.

a) *errores in textu occurrentes incorrectos relinquimus.*
b) *supra lineam scriptum.*
c) *sequitur expunctum:* qui
z) *sic in ms.*
1) *Petrus Myszkowski.*
2) *Megapolensis.*
3) *Georgius Słucki.*
4) *Ioannes Baptista Tęczyński.*
5) *Ioannes vel Andreas Tęczyński.*
6) *Stanislaus Myszkowski.*
7) *Ibrahim Bey (Ioachimus Strasz).*
8) *Alexander Lapušneanu.*
9) *legatus Pii IV in Polonia: Ioannes Franciscus Commendone.*
10) *Nicolaus Wolski.*
11) *Adalbertus Staroźrebski.*
12) *Adam Konarski.*

*Schedula:*

Wiiazd Iego K. Mczi sz Warszawy do Litwy

In mense Apprilli

| | | | |
|---|---|---|---|
| Die | 27 | Radzimin | Czwartek |
| | 28 | Kamieniecz | Piątek |
| | 29 | Ostrowia | Szobotha |
| | 30 | Liubothin | Niedzielia |

In mense Maiio

| | | | |
|---|---|---|---|
| Die | 1 | Lomza | Poniedzialek |
| | 2 | Lomza | Wtorek |
| | 3 | Wizna | Szroda |

*Annexum I:*

Revisores bonorum Regalium deputati pro anno 1564.

Satisfaciendo constitutioni[a] praeteritae, Revisores ad omnia bona nostra, tam ea, quae in possessione et nostra depositione habentur, quam eorum, qui[b] decretis nostris liciti sunt,[z] mittimus iuxta descriptionem constitutionis Conventionis[c] praeteritae ad revidendum et inveniendum provocatos.[d] Quam dedimus illis adscriptam,[e] ut sciant, ad quae bona proficisci deberent, quamvis nostra in possessione sint, omnium bonorum et proventuum subsellii nostri regii, illis exceptis, in quibus summae peccuniariae antiquae bene inventae et adiudicatae sunt. Imprimis ex parte nostra deputamus:

Ad Maiorem Poloniam:

Generosos Stanislaum Pieniązek, Tribunum Cracoviensem.[f]

Ad Minorem Poloniam: Generosos Martinum Falięczki, aulicum nostrum.

Ad Russiam: Christopherum Sokolowsky.

Ad Prussiam: Dominum Andream Przeczlawsky, Decanum Poznaniensem, Secretarium nostrum.

Ad Mazoviam: Generosum Albertum Boguczki, Tribunum Premisliensem, Oeconomum nostrum Ducatus Mazoviensis.

Ex Senatu Domini ex parte sua deputaverunt:

In Maiorem Poloniam: Sebastianum Mielieczki, Visliciensem Castellanum, Brestensem Capitaneum.[g].

In Minorem Poloniam: Paulum Dzialinski, Castellanum[h] Slonskiego.

In Russiam: Adamum Drzewiczki, Inowlodzensem Castellanum, Gostinensem Capitaneum Tenutariumque Inowlodzensem.

In Prussiam: Ioannem Luthomierski, Castellanum Siradiensem Thesaurariumque curiae nostrae et Capitaneum Lanczicensem et Radomiensem.

Nuncii vero terrestres ex parte sua:

Ad Maiorem Poloniam: Generosum Thomam Dembowsky, Theloneatorem Lanciciensem.

Ad Minorem Poloniam: Sebastianum Wieloglowsky.

Ad Russiam: Stanislaum Dembinsky.

Ad Prussiam: Stanislaum Slupeczky.

In Masoviam: Mathiam Chądzinski, Sacrocimensem Plonensemque Capitaneum.

Hoc quoque revidendum, quod si quicunque ex Deputatis superius nominatis propter aliquam causam legittimam ad hanc revisionem proficisci non potuisset, licitum nobis erit alium loco illius assignare. Quibus quidem Revisoribus nostris, pro moderna et praeterita constitutione, tenebuntur superius nominati Capitanei et Tenutarii omne genus bonorum nostrorum regalium favorabiles ad obediendum ad hunc solum actum dare Notarios, Advocatos, Villicos vel quosvis alios huiusmodi servos et chmetones, qui emolumenta illorum bonorum in sua cura haberent et eorum conscii sint, nullo condictamine, quod sit in damnum nostrum et Reipublicae, habito.

Tandem Zupparii Theloneatoresque omnes perfectam rem eisdem Revisoribus dare debebunt, ut Revisores ex illorum instructione et ostensione emolumentorum proventuumque inventarios facere possint ex omnibus partibus Coronae, iuxta descriptionem constituti Conventus praeteriti Piotrcoviensis. Hoc adiecto, quod ipsi idem Revisores nulli obedientiam in faciendo eo, in que remittent,[z] praepediant. Immo obedientiam Tenutariis serio iniungendo in omnibus fideliter, sub conscientia sua sese gerere debent, quos etiam securitate providendos laudo Conventus Varschoviensis moderni invenimus vel decrevimus, neminem illis audere contravenire. Qui ea transgredi auderet, non aliter iudicaturi, veluti contra personam nostram et Consiliariorum nostrorum in Conventu moliretur.

a) *sequitur expunctum*: anni
b) *correctum ex*: que
c) *verbum correctum.*
d) *in ms.* provocatas (?)
e) *lectio incerta,* forsitan: Quas... adscriptas
f) *sub hac linea sequitur expunctum*: Ad Russiam Christopherum.
g) *in margine adscriptum*: Generosos
h) *supra lineam.*
z) *sic in ms.*

SIGISMVNDVS Auguſtus Dei gratia Rex Polo=
niæ, Magnus Dux Lituaniæ, Ruſſiæ, Pruſſiæ, Maſo=
uiæ, Samogitiæq; &c. Dominus & hæres,

VNIVERSIS Et ſingulis, Palatinis, Caſtellanis, Dignitarijs, Of=
ficialibus, Terrigenis, Nobilibus, Aduocatis, Sculteris & Ciuibus, cæte=
riſq; cuiuſcunq; ſtatus, conditionis & præeminentiæ, ſubditis noſtris
bona quecunq; terreſtria hæreditaria & obligatoria posſidentibus, &
ad expeditionem bellicam generalem de iure vel conſuetudine Regni
noſtri obligatis ſyncerè & fidelibus dilectis, gratiam noſtram Regiam.
Magnifici, Generoſi, Nobiles & Famati. S: & F: noſtri dilecti. Quoni=
am in dies rumores cumulantur rumoribus hoſtes in armis eſſe, neq;
aliud quàm occaſionē inuadendi Regni expectare. Cauendum viciſ=
ſim putauimus, ne ſi quid illi moliri contra nos incipiant, imparatos nos
ad propulſandam vim reperiant. Quare primis hiſce reſtium literis ad=
monendum vos duximus admonemusq; & mandamus, vt ab equis,
armis, alijsq; rebus omnibus quæ belli vſus poſtulat, mature ſitis pa=
rati, & cum res ipſa poſtulauerit, & à nobis tertijs reſtium literis fueri=
tis euocati, in quemcunq; locum, & quocūq; tempore intra hunc & fu=
turum conuentum Regni ducere vos pro rei neceſsitate & belli ratiōe
viſum nobis fuerit, ſequi nos inſtructi rebus ad bellum gerendum neceſ=
ſarijs posſitis. Interea tamen exerceri iudicia, neq; vlla ratione intermit=
ti volumus, quouſq; tertiarum reſtium literæ à nobis miſſæ fuerint. Præ=
ſentes autem literas alius ad alium viciniorem tranſmittat. Vltimus
verò ad Capitaneum loci remittat, ſub indignatione noſtra & confiſca=
tione bonorum aliter non facturi. Datum. *varsoviae in comitiis*
*Regni VI die Aprilis* Anno Domini M. D. L. X *IIII*
REgni vero noſtri. Anno X X *X*. V *to*.

Ad Mandatum S. Ma=
ieſtatis R. propriū.

Zygmunt Auguſt z Bożey łáſki Krol Polſki/
Wielki Kśiadz Litewſki/ Ruſki/ Pruſki/
Mázowiecki/ Zmocki etc. Pan y dziedzic.

Urodzony wierny náß miły. Dla ſkończenia ſkuteczney Vniey Kśięſtwá wielkiego náßego Litewſkiego s Korona/ mocą vchwały Seymu teráznieyßego Wárßáwſkiego/ złożyliſmy Syem wálny Koronny/ Polakom z Litwą ſpolny. [illegible] Jana krzciciela. Przed ktorym/ iż Seymiki Powiátowe wedle zwyczáiu/ dla poſłow obránia powinnie v ziemiach być máia/ tedy ſkłádamy Seymik ziemſki powiátowy [illegible] á Głowny [illegible] A ták roſkázuiemy W. T. ábyś ty Seymiki obá/ ták Powiátowy iáko y Głowny/ w Stároſtwie ſwym/ w Mieſciech Miáſteczkach/ y Párochiach/ przez Woźne obwołáć dał/ á ty liſty náße/ ktore do rak W. T. [illegible] y inym znácznieyßym tytuły ſpiſawßy/ w Stároſtwie ſwym/ ábyś rozeſłał. A ſam też chcemy ábyś ná Powiáthowym ſwym był/ y o to ſie ſtárał/ áby ſie ſpokoynie y ſkromnie odpráwił/ á iżby ná nim poſłowie ludzie madrzy y cnotliwi/ ná Syem wálny/ z zupełną mocą/ ku ſtánowieniu z Litwą [illegible] niey obráni byli.
Dan z Wárßáwy [illegible]
Roku Páńſkiego M. D. LXiiij. A Kroleſtwá náßego xxxv.

Ná roſkazánie właſne
Jego K. Miłośći.

*N. 1915.*

*Varsaviae, 25.IV.1564.*

*Sebastianus Ciechański*
*Alberto in Prussia duci*
*scribit varia nova ex aula regia.*

*Vest. sigilli. Autogr.*

*H B A, B 2, K.395.*

Illustrissime Princeps *etc.*

Cum proficiscitur Thomas Koss Regiomontem, praetermittere non potui, quin ad Illustrissimam Celsitudinem Vestram litteras meas darem omniaque, quae hic in aula regia geruntur, haud communicarem.

Imprimis de Moscho. Is ante Pentecosten praesentia sua veniet ad Poloczko, et nunc habet in Poloczko Moschos 1600.

Item 17 Aprillis Sacra Regia Maiestas offitia et dignitaria eo die dabat. Sigillum maiorem [z] Domino Valentino Dembienski, qui erat supremus Thesaurarius et Castellanus Sandecensis. Loco ipsius successit Dominus Szobek.[1] Dominus vero Miskowski,[2] is adhuc locum suum possidet, forsan noluit maiorem. Is supremus nominatus Cancellarius eo die, cum accepit sigillum, omnes magnatos [z] Dominos in aedibus suis bene tractabat.

Item 18 Aprillis Castellanus Vilnensis [3] audientiam nomine totius communitatis Lituanae coram Rege habuit petiitque, ne desereret Lituaniam, sed ut [a] eo citius se conferret et contra inimicum suum pugnaret.

Item 19 Aprillis Caesaris Tartarorum Przekopskich Legatus audientiam publice coram Rege habuit illicque proponebat, quod favente Deo Caesar Przekopski ex mandato Caesaris Turcarum Alexandrum ad Palatinatum Moldaviensem in loco Thomssae, tanquam verum haeredem totius terrae Valachiae, constituit, petiitque nomine Domini sui, ut Thomssa una cum Moczuk Alexandri ad manus traderetur, pollicens bona fide sibi devincturum ad omnia obeunda negotia Alexandrum.

Item iniunxit et serio mandavit Caesar Turcarum Domino meo, tanquam Caesari Przekopskich, ut absque mora ipsemet praesentia sua cum exercitu suo quadringentorum millium Tartarorum Sacrae Regiae Maiestati Vestrae erga Moschum pugnaret. Ad hoc Caesar Turcarum policitus est 600 Janczaroff, una cum instrumentis bellicis (si tantum Rex ipsemet praesentia sua proficisceret [z] contra inimicum suum), bona fide mittere.

Aliis diebus Domini erant tractati a Duce Szlucensi.[4]

23 Archiepiscopus [5] discessit. Dominus Tarlo [6] ad Regem venit. Dominus Carnkowski,[7] qui est missus ad Imperatorem, litteris suis Domino Vicecancellario [8] significavit, quod Legatus Turcarum apud Regem Maximilianum est, qui vult [b] ex Regno Bohemiae tributum haberi.[z]

Heri venerunt duo homines, subditi Suae Regiae Maiestatis, ex districtu Spiszensi in finibus Ungariae. Conquesti sunt coram Regia Maiestate graviter, quod habent magnum impedimentum et detrimentum a subditis Turcarum, quod non tantum boves, aequos [z] et homines vi accipiunt et multa alia agravamina faciunt. Dicunt, quod exercitum suum summomagnum Caesar Turcarum in Lipa ad quinquaginta millia Turcarum alit. Rex vero Ungariae [9] a castris Turcicis cum suo exercitu 25 milliaribus in Dobryczino cum 1500 Ungarorum iacet. Ubi volunt, neque ex litteris Capitanei Spisensis, neque ex ipsis nihil apparet. Sua Regia Maiestas cum hoc audierat peracto Coenae Domini ad concilium [z] vocavit.

Nunc vero peracto prandio omnes Legatos, tam Turcicum quam Tartarorum et Alexandri, expeditionem Sua Regia Maiestas cum 4 Dominis, id est cum Cancellario, Vicecancelario, Episcopo Cuiaviensi [10] et Marschalco,[11] dedit litterasque unicuique per Vicecancellarium tradidit, muneraque tam [c] Legatis quam etiam et servitoribus dare iussit.

Legatus Turcarum [12] cum hoc venit, ut Thomssa Alexandro restitueretur, et quod est cum consensu Caesaris Alexander ad Palatinatum Moldaviensem constitutus. Tertio habet in mandatis, ut comitaretur Legatum regium Jazlowieczky [13] Constantinopoliam.[z] Is Leopoli expectat ipsum.

Hoc etiam sciat Illustrissima Celsitudo Vestra, quod Thomssa nudius tertius dies misit clenodia cum pretiosissimis lapidibus, forsan 30, Domino Petro Miskowski, ut Sua Reverenda Dominatio a Thomsa traderet Suae Regiae Maiestati pro munusculo. Aestimate [z] sunt, ut audivi a Domino Vicecancellario, ad centum millia florenorum.

Reginula [14] cras, Deo volente, ex Ploczko Varsoviam veniet et commodet [z] cum Sua Regia Maiestate, peracto prandio, valedicent. Nam cras etiam Sua Regia Maiestas proficiscitur ad noctem ad aliam partem Fistulae, illic pernoctando iam Sua Regia Maiestas recta iter faciet usque ad Bielsko.

Mitto Illustrissimae Celsitudini Vestrae summam totius consultationis vel contributionis, quod in hoc Conventu erat, nihil plus. Illustrissima Celsitudo Vestra mandabit alicui transponere. Plura non sunt, Illustrissime Princeps. Si posthac habuero, Illustrissimae Celsitudini Vestrae, tanquam Domino meo clementissimo, communicabo.

Audivi ex parte, Illustrissime Princeps, sed nondum est certum, Dominum Zborowski,[15] Castellanum Cracoviensem, suscepturum Regni Poloniae Supremum Exercituum Campiductorem... Varssoviae, 25 Aprillis, anno 1564.

Illustrissimae Celsitudinis Vestrae
servitor
Sebastianus Cziechaniski
manu propria.

a) *supra lineam.*
b) *sequitur expunctum*: ut
c) *sequitur expunctum*: ser
z) *sic in ms.*
1) *Stanislaus Sobek.*
2) *Petrus Myszkowski.*
3) *Gregorius Chodkiewicz.*
4) *Georgius Słucki.*
5) *Iacobus Uchański.*
6) *Gabriel?*
7) *Stanislaus Karnkowski.*
8) *Petrus Myszkowski.*
9) *Ioannes Sigismundus.*
10) *Nicolaus Wolski.*
11) *Ioannes Firlej.*
12) *Ibrahim Bey.*
13) *Georgius Jazłowiecki.*
14) *Anna Jagellonica.*
15) *Martinus Zborowski.*

## *N. 1916.*

*Drutowiszki, 30.IV.1564.*

*Ioannes Pawłowicz Podskarbowicz, aulicus regius,*
*Ioanni a Kreitzen (Craicz), ducis in Prussia cancellario,*
*expetit intercessionem apud ducem, ut sibi subditi profugi extradantur.*

*Vest. sigilli.*

*H B A, B 2, K.395.*

N. 1917.

*Laszki, 2.V.1564.*

*Nicolaus Tarło, signifer terrae Premisliensis,*
*Alberto in Prussia duci*
*de aegritudine ducis condolet et queritur de damnis a se in rebus suis acceptis, praesertim de ovibus perditis.*

*Sigill.*

*H B A, B 2, K.395.*

N. 1918.

*Łomża, 4.V.1564.*

*Stanislaus Ławski, palatinus et vicesgerens Masoviae,*
*Ioanni a Kreitzen, ducis in Prussia cancellario,*
*intercedit pro nobilibus Polonis, praesertim pro domino Kosmowski, tenutario pagi Giełczyno, ut eis subditi profugi restituantur.*
*(Polonice)*

*Sigill.*

*H B A, B 2, K.395.*

N. 1919.

*Cnissini, 15.V.1564.*

*Petrus Myszkowski, R.P. vicecancellarius,*
*Alberto in Prussia duci*
*commissiones ad regundos fines terrarum Prussiae mittit; de rebus ducis in curia a se tractatis refert.*

*Sigill.*

*H B A, B 2, K.395.*

Illustrissime Princeps *etc.*

Propensa fuit mea semper erga Illustrissimam Celsitudinem Vestram voluntas summumque rebus in omnibus Illustrissimae Celsitudini Vestrae inserviendi studium. Verum quod nuper, sub nostrum Varsovia discessum, non omnia Illustrissimae Celsitudinis Vestrae negotia, ut sane ego cupiebam, confecta fuerint, temporis brevitate ac multitudine negotiorum, quibus tantum non opprimebar, factum est. Operam tamen dedi, ut primo quoque tempore confici omnia atque ad Illustrissimam Celsitudinem Vestram mitti possent. Ac oportune quidem hoc nobis agentibus, puer se Illustrissimae Celsitudinis Vestrae obtulit, qui mittendi proprii his cum rebus ad Illustrissimam Celsitudinem Vestram tabellarii onere nos levavit.

Mitto itaque Illustrissimae Celsitudini Vestrae Commissiones ad regundos terrarum Prussiae fines omnes, quas Illustrissimae Celsitudinis Vestrae Consiliarius, Dominus Doctor Ionas, in memoriali reliquit. Mitto etiam mandatum sufficiens ad Dominum Castellanum Gedanensem,[1] ut

retentum Illustrissimae Celsitudini Vestrae stipendium primo quoque tempore persolvat.

De tormentis, globis ac pulvere bombardico egi cum Regia Maiestate. Promisit curaturam se, ut ea primo quoque tempore Illustrissimae Celsitudini Vestrae restituantur. Quod vero pecuniam Caunensem attinet, cum mirifice nunc Regia Maiestas in varios, maxime vero bellicos, usus exhauriatur, cupit, ut Illustrissima Celsitudo Vestra nonnihil adhuc expectare velit. Curatura vero est, ut eam Illustrissima Celsitudo Vestra, ubi primum meliori commoditate fieri poterit, omnem recipiat. Littus quoque maris praefecturae Polangensis ut muniatur, iam quibusdam Regia Maiestas negotium dedit.

Caeterum si quid est amplius, in quo Illustrissimae Celsitudini Vestrae studium meum probare possum, peto, Illustrissima Celsitudo Vestra opera mea arbitratu suo uti velit... Datum in oppido Kniszin, XV die mensis Maii, anno Domini MDLXIIII.

[a] Illustrissimae Celsitudinis Vestrae [b]

Rogo magnopere, dignetur Illustrissima Celsitudo Vestra tantisper has apud se Commissiones retinere, donec Comitia Bielsensia et Parczoviensia finiantur. Nam eo tempore de lege atque consuetudine Regni nullius similes Commissiones debent esse roboris.

[a] addictissimus servitor
Petrus Miskowski.[b]

a)-b) *manu propria.*
1) *Ioannes Kostka.*

*N. 1920.*

*Cnissini, 16 et 18.V.1564.*

*Sebastianus Ciechański*
*Alberto in Prussia duci*
*mittit varia nova ex aula regis Poloniae.*
*(Cum duabus schedulis)*
*Sigill. Autogr.*
*H B A, B 2, K.395.*

Illustrissime Princeps *etc.*

Nihil est nunc, Illustrissime Princeps, quot scriberem. Tamen hoc significo, quod Sua Regia Maiestas litteras Illustrissimae Celsitudinis Vestrae libenter atque grato animo, tanquam uti a parente suo, a servitore Illustrissimae Celsitudinis Vestrae accepit. Nova, Illustrissime Princeps, prorsus nunc nulla sunt ad communicanda [a]. Attamen denegare nolui, quin ad significandum revellarem. Sua Regia Maiestas Knissini nunc habitando, interdum in venationem, interdum vero ad aedificandam aram Thikoczin proficiscitur causa recreandi animi. Faciet etiam Sua Regia Maiestas iter ad Bielsko ad Comitia 18 Maii. In praesentia Suae Regiae Maiestatis non multi praeter supremum Cancellarium [1] et Vicecancellarium [2] sunt, Lituani pauci. Aderat Dominus Ostaphiey [3], sed statim eo die in postis abiit Vilnam. Ex castris Polonicis hic sunt, Illustrissime Princeps. Poloni una cum Lituanis irrumpuerunt violenter in terram Moschi sub Szmoliensko et illic magnam iacturam faciunt.

Hoc etiam sciat et in secretis Illustrissima Celsitudo Vestra habeat: Sua Regia Maiestas in animo suo habet thesaurum suum in Thikoczin apud Gedanenses oppignorare vult. Depositio eius debet esse Thorunii.

Dominus Chothkiewicz,[4] Capitaneus Samogitiae, ille ex Lomza ivit ad Dominum Zborowski, Castellanum Cracoviensem,[5] volens sibi amicitiam coniungere illam, quem[z] debuerat Despota[6] haberi.

Dominus Zalienski,[7] is, at bene non est notus Illustrissimae Celsitudini Vestrae, est supremus cubicularius Regis, is, qui assidet currum una cum Sua Regia Maiestate, servitia sua humilima Illustrissimae Celsitudini Vestrae defert et omnia bona precatur. Dominus Cancellarius supremus non admodum bene sanus. Plura, Illustrissime Princeps, non sunt. Si posthac habuero, non denegabo. Raptim Knissini, 16 Maii, anno 1564.

Illustrissimae Celsitudinis Vestrae
servitor
Sebastianus Cziechaniski manu propria.

*Postscriptum in eodem folio:*

Hoc etiam auditur, Illustrissime Princeps, in aula Regiae Maiestatis, quod supremus Legatus Turcicus nomine Sthrasz, Polonus, in legatione a Caesare it ad Sacram Regiam Maiestatem in 200 equis. Quem Sua Regia Maiestas expectat.

Dominus Osius cum Legato Papae,[8] hi ex Lomza discesserunt. Erant ambo tractati bene a Domino Vicecancellario.

Supremus Exercituum Campiductor nomine Kniąsz Kurpski[9] is, qui erat Capitaneus et Vicegerens in Livonia, sua sponte ipsemet duodecimus ex Livonia a Moscho ad Sacram Regiam Maiestatem fugam dedit et ad Bielsko venturus est. Cui iam Sua Regia Maiestas mandavit ex thesauro suo Lituanico mille Ungaricos florenos numerare.

Habet etiam Moschus nunc traiediam ex parte Caesaris Tartarorum Przekopskich. Vix potest nunc haberi armatos in finibus suis, ubi vocantur Wielki Luki, 50 milia potuisset nunc Sacra Regia Maiestas erga hunc crudelissimum hostem, ut aiunt homines advenae et tota aula. cum isto exercitu, qui iam sunt parati in finibus, si tantum voluisset pugnare.

Cras Sua Regia Maiestas apud Dominum Vilnensem[10] in Chorosczia pernoctabit. Datum 18 Maii, Knissinii, anno ut supra.

a) *omnes errores in textu incorrectos relinquimus.*
z) *sic in ms.*
1) *Valentinus Dembiński.*
2) *Petrus Myszkowski.*
3) *Eustachius Wołłowicz.*
4) *Ioannes Hieronymus Chodkiewicz.*
5) *Martinus Zborowski.*
6) *Iacobus Heraclides Basilicus.*
7) *Matthias Zaliński.*
8) *Ioannes Franciscus Commendone.*
9) *Andreas Kurbski.*
10) *Gregorius Chodkiewicz.*

*Schedula adiuncta I:*

Nova, Illustrissime Princeps. Thomssa una cum Moczuk, cum suo sodale, sunt Leopoli decolati. Uxor Thomssae adhuc vivit. Vidit ille Strasz,[1] Legatus Turci, decolationem ipsius. Iam venit ad Byelskam, expectat Regem.

Legatus supremus Tartari Przekopiensis nunc ivit in Brzessczie, veniet brevi Bielskam. Datum ut in litteris.

Sebastianus Cziechaniski manu propria.

1) *Ioachimus Strasz (Ibrahim Bey).*

*Alia schedula:*

Nova:

Imprimis Thomssa una cum Moszuk et tertio consodale suo Leopoli in praesentia Bassae Turcarum sunt decolati.

Item[a] Legatus Turcarum est apud Suam Regiam Maiestatem in Bielsko, nucupatus[z] nomine Sthrasz, Polonus.

Item Legatus Tartarorum Przekopiensium etiam brevi in 200 equis venturus est, aut iam est.

Item Knięsz Crupski sua sponte libera ad Sacram Regiam Maiestatem venit. Cui ad cathenam mandavit Sacra Regia Maiestas numerare ex fisco suo 1000 florenos.

Item[a] exercitus Przekopiensium Tartarorum invasit cum magno suo exercitu Moschum.

Item[a] Poloni vicissim fecerunt cum 12 millibus.

Item[a] Turca zu Lipi habet exercitum 5000 millia.[z]

Item[a] Rex Ungariae[1] iterum zu Dobriczino 15 millia.

Item[b] Legatus supremus Turcarum Viennae apud Maximilianum est. Qui vult extorquere a Corona Bohemiae tributum.

Item Lomzae apud Suam Regiam Maiestatem praesentia sua aderant Osius cum Legato Papae.[2]

Item ex eadem Lomza Dominus Chothkiewicz, Capitaneus Samogitiae, versus Dominum Cracoviensem discessit. Qui cupit pro uxore haberi sibi Cristinam, filiam Domini Cracoviensis,[3] quem[z] debuerat Despotha[4] haberi.

Et alia.

Rex zu Bielsko.

a) *in margine praecedit*: x

b) *in margine* x *expunctum.*

z) *sic in ms.*

1) *Ioannes Sigismundus.*

2) *Ioannes Franciscus Commendone, legatus Pii IV.*

3) *Martinus Zborowski.*

4) *Iacobus Heraclides Basilicus.*

*N. 1921.*

***Łomża, 16.V.1564.***

*Hieronymus Modliszewski*
*Alberto in Prussia duci*
*pro Simone de Czwalin, muratore.*

*Sigill.*

*H B A, B 2, K.395.*

*N. 1922.*

***Poryte, 7.VI.1564.***

*Agnes Anna vidua Niszczycka, palatina Plocensis,*
*Alberto in Prussia duci*
*petit, ut sibi subditi profugi, in Prussia latitantes, restituantur.*

*(Polonice)*

*Sigill.*

*H B A, B 2, K.395.*

*N. 1923.*

*Pinczoviae, 14.VI.1564.*

*Catharina Łaska, Ioannis Łaski vidua,*
*Alberto in Prussia duci*
*benevolentiae ducis in defunctum maritum suum confisa, se et liberos suos commendat opemque implorat.*

*Vest. sigilli.*

*Iam ed. Kuyper II, p. 765.*

*H B A, B 2, K.395.*

Illustrissime Princeps *etc.*

Ab eo tempore, quo clarissimus ille vir Ioannes a Lasco, maritus meus, e terris in patriam coelestem migravit, semper habueram in animo ad Illustrissimam Celsitudinem Tuam scribere ac literis ea testari, quae praeclare de Illustrissimae Celsitudinis Tuae virtutibus et pietate praedicare ac iucunde multis audientibus enarrare solebat maritus meus, dum viveret. Sed luctu ac merore, quem ex eius morte conceperam, partim impedita, gravissimis etiam et difficillimis negotiis occupata, quod institueram facere, oblita sum. Nunc vero tandem, memor illius summae benevolentiae, amoris ac studii Illustrissimae Celsitudinis Tuae, quo Illustrissima Celsitudo Tua maritum meum, virum illum eximium non solum ob pietatem, sed etiam ob generis splendorem, complectebatur, sic ut omnino charissimus Illustrissimae Celsitudini Tuae esset, sane optimum factu esse duxi, si tam me viduam, quam prolem eius, pignora ab eo mihi relicta, Illustrissimae Celsitudini Tuae commendarem.

Tanti enim momenti amicitiae vim apud Principem virum tantaque pietate aliisque raris ornamentis vere inclytum valere puto, ut illius liberos aliquem usumfructum sentire non sit iniquum. Et sane si liceret, absque aliqua adulationis nota, virtutes Illustrissimae Celsitudinis Tuae amplificare ac amicitiam illam, quae inter Illustrissimam Celsitudinem Tuam et maritum meum, Ioannem a Lasco, intercesserat, dicendo exornare, lubenter facerem. Sed cum illa Illustrissimae Celsitudini abunde testata sit, puto, quod potius eam in pectore altaque mente reponere cupit, quam verborum lenociniis efferri. Itaque me converto ad illud, quod modo attigi, nempe cum hic multis angustiis afflicta sim liberisque onusta, parumque auxilii ab iis, qui nobis adesse deberent indies experiar, Illustrissimae Celsitudinis Tuae nunc opem imploro petoque, ut pro illa insigni benevolentia, quam Ioannem a Lasco prosequebatur, velit saltem et in me, viduam miseram, liberosque eius rivulos aliquos liberalitatis suae Illustrissima Celsitudo Tua derivare. Sic enim rebus meis tenuissimis succurret et ad literarum studia (quod prae tenuitate facultatum mearum facere nequeo) liberos meos promovebit.

Sed de istis rebus prolixius agere apud Illustrissimam Celsitudinem Tuam nolo, quum confido pro sua pietate et virtute ac memoria mariti mei facturam. Deus vero Illustrissimae Celsitudini Tuae praemia digna referet. Verum antequam finem imponam, peto obnixe ab Illustrissima Celsitudine Tua, ut hanc meam ad Illustrissimam Celsitudinem Tuam scribendi libertatem aequissimo suscipiat animo. Hoc enim feci, partim freta singulari favore ac clementia Illustrissimae Celsitudinis Tuae, partim etiam impulsa duro necessitatis telo, quo premor. Foelicissime vale, Illustrissime Princeps. Dominus Deus faxit, ut diutissima valetudine Il-

lustrissima Celsitudo Tua ad totius populi tui salutem ac Ecclesiae Christi propagationem fruatur. Datum Pinczoviae, oppidulo Polonorum, 14 Iunii, anno Domini 1564.

Illustrissimae Celsitudinis Tuae deditissima vidua
Katharina a Lasco.

*N. 1924.*

*Bielsko, 14.VI.1564.*

*Valentinus Dembiński, R.P. cancellarius,*
*Alberto in Prussia duci*
*pro gratulationibus ob cancellariatum sibi concessum gratias agit; Sebastiano Ciechański, a duce sibi commendato, omne studium se exhibiturum promittit.*

*Sigill.*

*H B A, B 2, K.395.*

Illustrissime Princeps et Domine, Domine Benignissime.

Obsequiorum meorum promptitudinem in gratiam Illustrissimae Dominationis Vestrae diligentissime defero.

Non potest mihi venire in mentem, quibus verbis Illustrissimae Dominationi Vestrae gratias agam, quod tanta benignitate in me, sibi addictissimum, extiterit, ut tam praeclaram gratiae atque optimae voluntatis suae significationem ea gratulatione de novo hoc honore meo fecerit. Quemadmodum autem ea res mihi gratissima et iucundissima accidit, ita vicissim Illustrissimae Dominationi Vestrae, Principi meo, id reprecor, ut Deus Optimus Maximus Illustrissimam Dominationem Vestram diuturnam, foelicem et incolumem, ad nominis sui gloriam et nostram omnium, quibus Illustrissimae Dominationis Vestrae erga nos perspectus est animus, singulare oblectamentum, conservare illiusque conatus in suo beneplacito disponere ac dirigere velit. Si quid hic Illustrissimae Dominationis Vestrae causa subeundum oneris erit, aut si quid ad rationes Illustrissimae Dominationis Vestrae facere videbitur, in eo sedulitatem ut agnoscat meam, omni officio curabo et providebo, necubi quid in me Illustrissima Dominatio Vestra desideret, nihil dubius Illustrissimam Dominationem Vestram, quod mihi iniunxit, non minus benigno et grato etiam animo suscepturam esse.

Nobilem Sebastianum Czyechańsky, cum virtus illius, ut non solum mihi charus sit, verum etiam omnibus, quibus probitas cordi est, tum commendatio Illustrissimae Dominationis Vestrae, charissimum mihi effecit. Daboque operam, ut in eo quoque amando et modis omnibus augendo atque adiuvando Illustrissimae Dominationis Vestrae commendationem et ipse experiatur et Illustrissima Dominatio Vestra intelligat plurimum apud me valuisse, ut in aliis omnibus... Datum Byelsci, in Comiciis Lituanicis, XIIII Iunii 1564.

[a] Vestrae Illustrissimae Dominationis
servitor
Valentinus Dąbyensky de Dąbyany, Cancellarius
Regni Poloniae, manu propria.[b]

a)-b) *manu propria.*

*N. 1925.*

*Brzeżany, 18.VI.1564.*

*Nicolaus Sieniawski, exercituum R.P. capitaneus generalis,*
*Alberto in Prussia duci*
*Iacobum Pretwicz, cuius ipse tutorem gerit, commendat, ut in aula ducis, una cum ducis filio, educari possit.*

*Sigill.*

*H B A, B 2, K.395.*

Nayasznyeysze Milosczyve Xziąze *etc.*

Pan Prethffycz nyebosczyk, nayasznyeysze Milosczive Xziąze, kthory yakyem godnem szluzebnikyem Iego K.M. Panu szwemu byl, y yako vyelye w ovych krayach godnie szluzyl V.X.M., memu M.P., thayno tho nye yesth V.M. thesz nyeynaczey szobye mayącz zawsze, yedno yako Iego K.M. Pana szwego, zwlascza ze thesz uzyval vyelye laszky y dobrodzyeystwa od V.X.M., za czo zawsze byl gothow szluzycz V.X.M. gardlem sswym y szyna [1] thego sswego, kthory po nyem ostal, rad by byl k themu vyodl, aby mogl godnym szluzebnikyem V.X.M. bycz y iasznemu a zącznemu pothomszvu V.X.M. godnye umyal szluzycz. Gdzie y przed szmierczią szwą proszyl mye za tho, abym szye o tho staral proszbą szwą u V.X.M., zeby then yego szyn przy V.X.M. na dworze V.X.M. chovanye y czwiczenye obyczayow, nauky y wszelakych posthempkow uczczywych myecz mogl. A isz ya, yego opyekunem bedącz, za thą milosczią yakom oycza yego miloval, povinyenem o nyem wszelkye staranye czynycz, znayącz thesz w nyem prawą chucz oyczowsską przirodzoną do szlussby V.X.M., kthory yss tham yedzie do V.X.M., sswego M. Pana, pilnemi proszbami V.X.M. mego M. czivego Pana prosse, aby onego lasskavye a milosczyvie V.X.M. ku sslussbąm swym przyiącz a milosczyvem y laskavem panem yem bycz raczyl, iszby on za milosczyvą a sczodroblivą laszką V.X.M. myal chovanie thakye na dworze V.X.M. y czwiczenie do umyeyethnosczi yezyka nyemyeczkyego y do nauk ynych przy Xzyązecziu Iego M.czi, szynu V.X.M. Iakoby na pothym V.X.M. y szynovy V.X.M. godnyeyszem szluzebnykyem mogl bycz, kthory, acz yesth statecznem y uczczivem pokornem dzieczieczіem, alye yszby go mlodoscz do czego nyepotrzebnego a zlego nye unoszila, nye vąthpie, yss V.X.M., moy M.Pan, z milosczywey laszky szwey thakyemu tho poruczycz bedziesz raczil, kthory by mlodoscz yego na opyecze sswoyey mial. Zaczo od yego mathky vyeczne bohomodlsthwo V.X.M. myecz będzye raczyl. On thesz vyecznie szluzycz V.X.M., sswemu M. Panu, povinyen bedzie, kthorego ya yusz m.czivey lascze V.X.M., sswego M.Pana, zalyeczą m i porucząm

Iss ya thesz, Nayasznyeysse M.czive Xziąze, znąm vyelye dobrodzieysthwa y lasky V.X.M., prosse, aby V.X.M. moy M.P. mnye yako sslužebnikovy sswemu ssluzycz szobye w ovych krayach rosskazovacz raczyl, bo nyeinakszą chucz mąm do sslusb V.X.M., yedno thaką, yakova yesth ve mnye ku sslussbąm Iego Krolyewskyey M.czi, Pana mego, y gdy V.X.M., moy M.P., mnye rosskazowacz bedzye raczyl, navyeczey szobye ssluzicz, thym bede znal vyethszą lasskę V.X.M., abovyem za thy dobrodzyeysthva V.X.M. mnye okazovane vinyenem ze wszysthkyem naro-

dym sswym V.X.M., memu M. Panu, y pothomsthvu V.X.M. vyecznye ssluzycz y tho szynom szwym rosskaze...

Z Brzezan, XVIII die mensis Iunii, anni Domini 1564

Vassey Xziazeczey M.czi mego M.cziwego Pana,

nanisszy y vyeczny a zyczlyvy szluzebnik

Mikolay s Szenyavy, voyevoda zyem Ruszkych,
Hethmąn navysszy Korony Polszkyey,
Halyczky, Colomyissky starosta.

1) *Iacobus.*

*N. 1926.*

*Bielsko, 19.VI.1564.*

*Matthias Zaliński*
*Alberto in Prussia duci*
*pro litteris, benevolentia plenis, gratias agit; Sebastianum Ciechański (in ms. Czichainsky), cubicularium regium, sibi a duce commendatum, se adiuturum promittit.*
*(Germanice)*

*Sigill.*

*H B A, B 2, K.395.*

*N. 1927.*

*Bielsko, 1.VII.1564.*

*Petrus Myszkowski, R.P. vicecancellarius,*
*Alberto in Prussia duci*
*nuntiat regem et antea causam Livonicam minime ignorasse et nunc de ea deliberare; mittit litteras de quadringentis bobus libere dimittendis.*

*Sigill.*

*H B A, B 2, K.395.*

*N. 1928.*

*Bielsko, 3.VIII.1564.*

*Nicolaus Konarski*
*Alberto in Prussia duci*
*de magistro Livoniae se regi retulisse nuntiat; negotium tamen statim expediri non potuisse, rege unione eiusdem Ducatus cum Regno Poloniae occupato.*

*Sigill.*

*H B A, B 2, K.395.*

Durchleygchtiger, *etc.*

Auf E.F.D. gnedigen befelch hab ich irer ko. mt., meinem allergnedigsten hern, von diesem ritmeister in Eiflandt angezeigt, wie mir E.F.D.

geschrieben und genediglich befolhen. Aber dieweil ire ko. mt. also fast und heftig fur diss mal mit der union zwischen dem konigreich Polen und diesem hiegelegen furschtentumb beladen, hat ire ko. mt. nicht allso gleich dieselben hendel follenziehen mogen, iedoch hat dasselbe alles ire ko. mt. in gutter acht und gedechtnuss; an meiner erinnerung soll es auch laut E.F.D. gnedigen befelch kheinen mangel haben...

Datum zu Bielsk den 3ten tag Iulii im 1564ten jare.

E.F.D.

ganz undertheniger williger diener

[a] Nickell Konarsski.[b]

a)-b) *manu propria.*

*N. 1929.*

*Bielsko, 6.VII.1564.*

*Petrus Myszkowski, R.P. vicecancellarius,*
*Alberto in Prussia duci*
*rogat, ut controversia de piscatu anguillarum inter ducem et cardinalem Varmiensem [Stanislaum Hosium] eiusque capitulum* « citra cognitionem Maiestatis Regiae » *componatur.*

*Sigill., partim autogr.*

*H B A, B 2, K.395.*

*N. 1930.*

*Olitha, 19.VII.1564.*

*Stanislaus Rajski, capitaneus Olithensis,*
*Alberto in Prussia duci*
*rogat, ut dux Michaeli Gieller, civi Regiomontano, iniungat, ne solutionem pecuniae, fisco regio pro 43 lastis siliginis debitae, amplius differat.*

*Sigill.*

*H B A, B 2, K.395.*

*N. 1931.*

*Parczoviae, 10.VIII.1564.*

*Nicolaus Tarło, vexillifer Premisliensis,*
*Alberto in Prussia duci*
*de negotio unionis Regni Poloniae cum Magno Ducatu Lithuaniae.*

*Sigill.*

*(2 annexa: exemplum litterarum regis ad universos de 8.VIII.1564 et exemplum litterarum procerum Lithuanorum ad proceres Polonos de unione, de die 8.VII.1564)*

*H B A, B 2, K.395.*

Illustrissime Princeps *etc.*

Quod Illustrissima Celsitudo Vestra literis suis respondere ad mea scripta non dubitaverit suamque clementiam ac benignitatem illis ipsis

erga me testata sit ac de sua valetudine mihi significaverit, non modo permagnam inde cepi leticiam et voluptatem, sed etiam inprimis Deo Optimo Maximo devotas ac humiles preces ac Illustrissimae Celsitudini Vestrae perpetuas ago eo nomine gratias. Dolebam equidem, Illustrissime Princeps, mihi sublatam fuisse occasionem, qua Celsitudini Vestrae, Domino meo clementissimo, et scribere et caetera omnia, quae a me optima fide et summo studio potuissent in gratiam Celsitudinis Vestrae tractari, obmittere coactus fueram. Nunc vero cum hisce literis excitatus essem, ea, quae acta sunt et agitata in his Parczowiensibus Comitiis, optima fide et, quoad fieri possit, summa diligenta perscribenda Celsitudini Vestrae statui.

Ac inprimis noverit Illustrissima Celsitudo Vestra, post indicta Warschoviae Lituanis in Bielsko Comitia, Sacram Regiam Maiestatem pro festo Pentecostes eo appulisse, quo plane inviti et reluctantes proceres Lituani vix tandem advenerunt, et ut se aliquid moliri prae se ferrent, aliquos Duces, Ostroviensem, Constantini [a] filium,[1] et alios, plus quam mille equitibus stipatos, cum tormentis bellicis et peditum falange sub specie lustrationis eduxerunt. Deinde post longas et diuturnas disceptationes, ab illis Comitiis cum quibusdam tractatibus sub conditione, num sint a Statibus Regni suscipiendi, recessum est.

Parczowiae cum indicta fuissent utrique nationi Comitia, totos 27 dies in pertractandis Lituaniae nunciis exegimus. Cum autem se limitata potestate mandatos assererent, nihil tuto pro nostra parte ab illis caveri poterat, et ita cum neque Status eo venirent, neque aliquid in absentes sanciri possit, res est reiecta ad futura post Pasca Comitia, quae per Regiam Maiestatem, ubi utrique nationi visum fuerit, in finibus regionum indici et denunciari debent. Cuius recessus ac totius actus in hisce Comiciis summam Latine conscriptam Illustrissimae Celsitudini Vestrae mitto, ac una literas publice fidei, Oratoribus eorum sub forma instructionis datas.

Caeterum de equo gradario, quod ambiguum habuerit Celsitudo Vestra, an a me vel Magnifico Domino Gabriele, patruo meo, fuerit missus, ego, qui toties benignitatem Celsitudinis Vestrae et illas divinas dotes ac virtutes summo Principe dignas semper sum admiratus, putavi vehementer ad me pertinere, ut qui nihil apud me ducerem antiquius, quam ut quibuscunque possem modis et rationibus, tanti Principis benignitatem mihi conciliare possem, cum ita visum fuisset Domino Bernardo Pohibel, ut hunc equum Celsitudini Vestrae mitterem, feci perlubens, etsi profecto non sine magno metu, ne in locum gratiae et benignitatis Celsitudinis Vestrae aliquam offensionem incurrerem. Etsi mihi fuisset innata prudentia et divina quaedam humanitas ac moderatio animi Celsitudinis Vestrae satis cognita, tamen non existimabam dignum fuisse, qui Celsitudini Vestrae mitteretur. Nunc vero, cum tam benigniter id a me susceperit, enitar et elaborabo, quam primum Maiestatem Reginalem in eo luctu, ut servitorem Maiestatis Suae decet, reximus, benignitate honestam et mihi amantissimam coniugem, probe et sancte educatam, assecutus sum, invisero una Magnificum Dominum patruum meum, postea me domum meam conferam et isthic conquisitum unum atque alterum Celsitudini Vestrae perlubens mittam, modo ut aliquid tanto Principe dignum conquirere possim, etsi non dubito posse reperiri.

De ovibus vero quod Celsitudo Vestra numerum assignare me iubet, audio isthic non modo greges haberi nobilissimos, quorum ego parte non adeo numerosa a Magnifico Domino Palatini Cracoviensis [2] fratre et consanguineo meo ex grege illi a Celsitudine Vestra donato adiutus fue-

ram, qui honestum in gregem et satis amplum mihi excreverat, sed postea hoc infortunio totus periit. Non minus forem sollicitus de pastore vel curatore gregis, quam de ipso grege. Nam tale genus hominum apud nos non reperitur. Si 300 vel 400 numerum una cum ipso pastore habere possim, et ea benignitate Celsitudinis Vestrae adiutus, ad finitimam aliquam arcem Ducatui Masoviae, ubi modo periculum pestis non esset metuendum, appelleretur, et in hoc negotio a Celsitudine Vestra prius per literas certior fieri possim, ut una et equos et precium pro ovibus remitterem. Quod totum illius Celsitudinis benignitati, tanquam Domino meo clementissimo, ac me ipse humilime commendo, petens a Deo Optimo Maximo, ut eandem Celsitudinem Vestram Deus Omnipotens servet foelicem ac incolumem in multa tempora. Datum Parczoviae, decima Augusti, anno Domini 1564.

[b] Eiusdem Illustrissime Celsitudinis Vestre
perpetuus et addictissimus servitor
Nicolaus Tarlo de Sczekarzovice et in Liaszki,
Vexiliffer [z] etc. Premisliensis, aulicus
Sacre Regie Maiestatis.[c]

a) *in ms.* Constanii
b)-c) *manu propria.*
z) *sic in ms.*

1) *Constantinus Basilius Ostrogski, pal. Kioviensis.*
2) *Spytek Jordan de Zakliczyn.*

*Annexum I: Litterae universales regis de 8.VIII.1564.*

Sigismundus Augustus, Dei gratia Rex Poloniae, Magnus Dux Lituaniae, Russiae, Prussiae, Masoviae Samogitiaeque etc. Dominus et Haeres.

Significamus tenore praesentium universis et singulis, quibus interest, ad quos hae litterae nostrae pervenerint, quod cum in arduis negociis Reipublicae essemus a nostris subditis eo perducti, ut unionem Coronae cum Magno Ducatu, iam pridem per praedecessores nostros, Serenissimos Poloniae Reges, condictam et assignatam, postea vero quodam modo neglectam et intermissam, ad planiorem executionem deduceremus, in quo negotio indiximus Generalia Comitia Warschoviae, anno 1563 pro die Sancti Martini, quo cum omnes Status Regni convenissent, venerunt quoque Oratores vel Nuncii Statuum Lituaniae. Ac post multas et longas alterutrim disceptationes de unione et consolidatione eorundem dominiorum, cum hoc negotium unionis eo tempore transigi et determinari non potuisset ea potissimum de causa, quod Oratores Statuum Lituaniae res tam magni momenti nequaquam ausi sunt sibi assumere et confirmare, nonnulli articuli, qui utriusque partis assensu videbantur posse differri, sunt dilati, cum non habuissent eam potestatem Lituani id omnino concludere.

Nos itaque cum in eodem negotio fuissemus vehementer rogati, et praesertim a Nunciis Lituaniae, ut solummodo propter istius unionis solum actum alia Comitia Polonis cum Lituanis simul indiceremus, quae nos, etiamsi bello Moscico distineremur, eorum precibus acquiescendo concessimus, et haec ipsa Comitia Parczoviae pro festo Sancti Ioannis in anno 1564 indiximus, ut appareat non stetisse per nos, quo hic tam expetitus et nobilissimus actus pro commodo utriusque dominii aliquando suum sortiretur effectum. Sed cum Nuncii Lituaniae pernecessarium sibi fore dicerent, ut antea in Lituania dies Comitiorum propter mutuam conferentiam constitueretur, solis tantummodo Lituanis, ut prius in suis

Comitiis determinarent et iam rem conclusam ad Comitia Parczoviensia adferrent, flagitaverunt id a nobis, ut in Bielsko pro festo Pentecostes, ante Parczoviensia Comitia, altera illis celebraremus, adiecto eo, ut aliqui ex Regno Poloniae proceres et nuntiorum equestris ordinis legati eo quoque mitterentur, ut, una collatis sententiis, tanto celerius Lituani eam unionem amplecterentur, quemadmodum diffusius Warschoviae tractatum est.

In quo nos illis perquam benigniter annuendo, certos Deputatos ex proceribus Poloniae et nunciis terrarum eo venire ad eos tractatus componendos iussimus. In quibus quidem Comitiis Bielscensibus cum iam omnes convenissent, tam ex Statibus Regni Deputati, quam omnes Lituanici Status, personaliter, post longas et diutinas disceptationes et tractatus nonnulli articuli, secundum recessum Warssoviensium Comitiorum, cum eiuscemodi exceptionibus sunt conclusi, quemadmodum scriptum illud Bielscense in se continet, ut si essent Parczoviae approbati, iam in eum finem sunt sigillis procerum, Deputatorum Regni et Lituanorum, obsignati.

Postea cum iam Parczoviae rem fuissemus aggressi, nihil a nobis intentatum relinquebatur, modo ut huic unioni finem imponere possimus. Sed postquam Status Lituanici in personis suis eo non venissent, qui ad huiuscemodi actum Comitiorum pertinebant, et praesertim proceres et Senatus Lituanicus solummodo Nuncios suos, et eos quidem cum limitata potestate, miserunt, nos, intellecto et perspecto hoc negotio, quod hic Parcoviae propter eas causas nulla conclusio fieri poterat, pro utriusque nationis instanti petitione et consensu, hunc solum actum unionis cum omnibus eius privilegiis, clausulis et punctis, quemadmodum Warschoviae primum assensum erat secundum illius recessum, et ab eodem in Bielsko et Parczovia latius declaratum et consultatum, ad proxima utrique nationi Comitia reiecimus, quae ad hunc solum actum post Pascha proxime futura indicere debemus, quemadmodum sumus ab utraque natione, Polona et Lituana, rogati, peractis tamen prius Comitiis Generalibus, pro festo Epiphaniarum propter executionis effectum et alia negotia Reipublicae Polonae iam denunciatis. Tum demum diem certam et tempus utrique genti ad conveniendum personaliter omnibus Statibus et peremptorie indicemus, prout et iam edicto praesenti comitiali indicimus.

Quantum vero attinet Livones, qui a tam sevo tyranno divexati non habent, unde [a] aliquam spem ab aliquo christiano Principe et defensam expectarent, ad Maiestatem nostram et ad Coronam Regni Poloniae pro auxilio et defensa se ipsos cum facultatibus suis omnibus et provinciis eorum contulerunt et sub ditionem Coronae in perpetua tempora se subiecerunt, in quo negotio Cracoviam primum, deinde Petricoviam, Warschoviam, et postremo huc Parczoviam ab omnibus Statibus miserunt, in eum modum omnes optimates, Consiliarii una cum Nunciis equestris ordinis, consenserunt et concluserunt: Postquam unionis negotium nondum cum Statibus Lituanicis in his Comitiis fuit conclusum, ut nunc publico Senatus consulto iam in numerum provinciarum Regni Poloniae adscriberentur, quemadmodum illis et Warssoviae promissum fuerat, sed ut ad proxima Comitia utrique nationi futura haec quoque finalis causa eorum reiiceretur, quomodo et quibus conditionibus illa eorum susceptio et defensa suscipi debeat.

Nihilominus cum ipsi diuturniorem dilationem ferre non possent propter suas imminentes calamitates, tam a Moscho quam a Swedo, ut,

si mature illis non consulatur, essent eo perducti, ut alterutrius horum iugum ferre cogerentur, ut se ipsos, vitas ac liberos et fortunas suas salvas facere possint, aut alteri cuipiam suplicare pro auxilio contra eorum hostes ferendo, nos itaque, cum consensu omnium Consiliariorum nostrorum lateri nostro assidentium, in his Parczoviensibus Comitiis perpensa et provisa summa et ardua Reipublicae nostrae necessitate, ne, si in manus hostium haec provintia deveniret, terris nostris Prussiae et omnibus dominiis aliquam gravem potuisset adferre calamitatem, cum illae arces munitissimae et portus illius provintiae per hostem occuparentur, necessitatis illius causa ad retinendos et defendendos Livones trecenta millia florenorum, ad bona mensae nostrae Regni Poloniae undecunque conquirendos, vigore istius consensus decrevimus, et pro ea summa, sine quavis mora et procrastinatione, militem mercenarium non modo in Livoniam expediremus, sed etiam eum exercitum, qui a nobis in Lituaniam praemissus est, hactenus foveremus, dum unione cum Lituanis ad executionem deducta modus reperiri potuerit, quo[b] pro necessitate et dignitate Reipublicae nostrae hoc bellum administrari et confici possit. Et hoc propterea, quod haec contributio, quae in proximis Varssoviensibus Comitiis laudata fuerat, non sufficiebat, neque poterat ille exercitus ea ali et Livones a vi et calamitate eorum defendi.

Quod vero a Nunciis equestris ordinis Regni rogati fuissemus, ut[b] lustrationem, quae fuit vigore Conventus Warszoviensis pro festo Sancti Mathei Apostoli anno praesenti edicta, propter certa legalia impedimenta in aliud tempus transferremus, nos, illorum petitioni acquiescendo, tum etiam rumore de incursione valida Tartarorum, ut asseritur, increbrescente,[b] hanc lustrationem, quae pro die Sancti Mathei Apostoli futura erat, cum consensu Senatorum et Nuntiorum Regni, eodem vigore Conventus et eodem modo, quemadmodum Warschoviae decreta fuerat, pro festo Sancti Adalberti in anno proxime venturo 1565 transferimus.

Insuper sumus quoque rogati a Nunciis equestris ordinis, ut his omnibus, qui in castris nostris contra Moschum, hostem nostrum, militant vel militaturi sunt, et pro pena homicidii sunt ad sessionem turris condemnati, ut interea eis pena illa prorogetur, dum sunt in illa expeditione vel militia. Annuendo itaque precibus eorum et necessitati nostrae, omnibus in universum et singulariter cuilibet hoc toto tempore, quo in castris nostris militaverint, vigore Conventus denunciamus et[b] deferrimus, denunciantes, quod eorum honori et estimationi haec absentia nullam noxam adferre possit, ea tamen lege et conditione: quam primum ab eiuscemodi militia vacaverint, cum data missione, vel etiam si quis ultro se a milicia abdicaverit, in duodecim septimanis ab ea missione vel discessu e castris in turrim se conferre et istic iuxta decreta integre sedere et satisfacere teneatur.

Qui vero haec neglexerit, penam statuti eo ipso incurret.

Ultimo Nuncii equestris ordinis questi sunt permultos occupatos serviciis Reipublicae, sub haec Comitia Parczoviensia, in variis districtibus contra normam legum et constitutionum iudicatos et condemnatos variis penis esse, petentes, ut hoc a Maiestate nostra illis in eiusmodi gravamine provideatur, ne talia iudicia, sub tempore Comitiorum iniuridice peracta, sint alicuius vigoris et momenti, et ne in posterum officiales talia committere audeant. Unanimi itaque Senatorum et Nunciorum consensu, talia omnia iudicia, tam terrestria quam castrensia, quaecunque post particularia Comitia alicubi sub modernis Comiciis Parczoviensibus celebrata sunt, vigore Conventus Parczoviensis, pro festo Sancti Ioannis

Baptistae celebrati, nullius vigoris esse debent, neque alicui nocumento, quinimo omnes tales processus iudiciales ac decreta, tam ex controversiis partium, quam etiam in contrarium lata et iudicata, praesentis vigore Conventus omnino nullitatis vicio subiacere decernimus.

Et ad firmius eorum omnium testimonium sigillum nostrum affigi curavimus. Actum Parczoviae, in Conventione Generali, feria tertia ante festum Sancti Laurencii, octava die mensis Augusti, anno Domini millesimo quingentesimo sexagesimo quarto, Regni vero nostri trigesimo quinto.

a) *in margine.*
b) *supra lineam.*

*Annexum II: Proceres Lithuani ad proceres Polonos, 8.VII.1564:*

Reverendissimi, Illustrissimi, Spectabiles, Magnifici et Generosi Domini, Amici, Fratres Charissimi et Honorandi.

Defferimus Reverendissimis, Illustrissimis Celsitudinibus, necnon Spectabilibus, Magnificis et Generosis Dominationibus Vestris obsequia nostra fraterna et omnia addictissimorum hominum et coniunctissimorum fratrum et sociorum officia, eisdem salutem perquam plurimam, incolumitatem perpetuam et foelicissimos quosque rerum omnium [successus], privatim et publice, a Domino Deo toto pectoris et voluntatis nostrae affectu comprecamur.

In his negociis, quae unionem nostram mutuam concernunt, proficiscuntur isthuc ad indicta Comitia Parczoviensia Reverendissimus, Spectabiles, Magnifici ac Generosi Domini, Stanislaus Gabrielowicz Narkuski, electus Episcopus Miednicensis, Sthephanus Dux in Zbarasz, Pallatinus Vitepcensis, Ioannes Szimkowicz, Sacrae Regiae Maiestatis Marsalcus, Tikociensis Capitaneus, et Nicolaus Narussowicz, Notarius Magni Ducatus Lithuaniae, Markon, Miadalensis Capitaneus, fratres et collegae nostri charissimi, et quidem proficiscuntur nostro et suo nomine, hoc est Senatorum et Consiliariorum status utriusque Magni Ducatus Lithuaniae. Quos fraterne et amanter rogamus, ut istam profectionem suo et nostro nomine suscipiendo, has nostras Reverendissimis, Illustrissimis, Spectabilibus, Magnificis et Generosis Dominationibus Vestris redderent et nostro nomine illis et caeteris, in illo Conventu congregatis, inclyti illius Regni Ordinibus plurimam nunciarent salutem et studia nostra ac propterea in omni officii genere gratificandi voluntatem commendarent, et deinde sermone suo oretenus explicarent, quae in Conventu nostro Bielscensi inter nos omnes, Status ac Ordines Magni Ducatus Lithuaniae, coniunctim, et inter Reverendissimos, Illustres, Magnificos et Generosos Dominos Regni Poloniae utriusque status Senatores et Consiliarios, Celsitudinum et Dominationum Vestrarum collegas, nostros vero communes fratres, in negocio eiusdem unionis citro ultroque acta, tractata et addita sunt. Ubi inter caetera etiam Celsitudinibus et Dominationibus Vestris explicabunt, de quibus inter nos, Senatores et Consiliarios Magni Ducatus Lithuaniae, et inter equestrem ordinem eiusdem Magni Ducatus Lithuaniae, fratres nostros iuniores, coniunctim convenit, et in quibus nobis deinde cum eodem equestri ordine iuxta posteriorem nostram declarationem ac cum praefatis Reverendissimis, Illustrissimis, Magnificis ac Generosis Dominis Regni Poloniae, ad hunc Conventum Legatis, constare et convenire non potuit. Ex quorum Legatorum nostrorum fideli

legatione haud dubie, pro sua prudentia, intelligere perspicereque dignabuntur studiosos et pariter cupidos nos fuisse, et nunc etiam non modo vulgariter redintegratur inter nos unionis,[z] sed etiam ita solenniter et solidissime in omnem aetatem et aeternitatem constituendae, ne ullo unquam aevo fluctuet et vacillet, sed constans et immobilis perpetuo permaneat. De generalibus siquidem, hoc est de praecipuis unionis capitibus, tum et de particularibus seu specialibus quoque nobis convenit, privata tantum quaedam, quae nos, Senatum huius provinciae, proprie et peculiariter concernere existimamus, nobis reservavimus et ex illa generalitate excipimus. An autem non satis sit, nec omnimode sufficiatur pro constituendo tanti momenti vinculo, Celsitudines et Dominationes Vestrae, pro sapienti et undequaque exacto iudicio suo, iudicare dignabuntur.

Proinde etiam petimus, ut in eo, pro sua aequitate, prudentia et aequanimitate singulari, acquiescere velint. Tantum enim in hac parte tribuisse nos nostro mutuo amori, mutuae benevolentiae et multis nostris communibus necessitudinibus, inter nos arctissime constitutis, omnino existimamus, quantum maiores nostri ne tribuere quidem cogitarunt, et quemadmodum a nobis in eam consensionem facilitate itum est, ita Celsitudines et Dominationes Vestras parem aequitatem paremque facilitatem et aequanimitatem ad acceptanda ea, quae ultra clarissimos maiores nostros concessimus, allaturos esse omnino confidimus. Nos vero pro nobis sancte pollicemur ea omnia, quae iam inter nos conceptis scriptis in posteriore nostra declaratione acta, tractata et concessa sunt, et religiose servaturos esse et suo tempore ad Regni Comitia venturos, et cum inscriptionibus et sigillis nostris, tum et interposita iurisiurandi religione confirmaturos et ad notitiam indubitatam longaevae posteritatis deducturos esse.

Ut autem his scriptis, ultro citroque inter nos habitis, per hosce Dominos Legatos nostros Celsitudinibus et Dominationibus Vestris exhibendis, plenior fides habeatur, visum est nobis, ut haec eadem scripta manu Illustrissimi Principis Domini Nicolai Radziwil, Ducis in Olyka et Nieswiesz, Pallatini Vilnensis, tanquam Cancellarii, subscriberentur. Quod reliquum est, commendamus nos et nostra amica, fraterna et paratissima obsequia in perpetuam et nunquam morituram Celsitudinum et Dominationum Vestrarum erga nos benevolentiam. Commendamus praeterea et difficultatem horum nostrorum temporum, ne nos in his hostis nostri insultationibus machinationibusque deserant, sed praesto ope, consilio et auxilio adsint. Nos vicissim parati sumus non modo fortunam, sed facultates nostras, sed vitas et salutem nostram pro salute Celsitudinum et Dominationum Vestrarum, quavis necessitate ingruente (quae tamen utinam sero aut nunquam veniat) impendere. Datum in Bielsko, 8 Iulii, anno Domini 1564.

Reverendissimarum, Illustrium, Spectabilium,
Magnificarum et Generosarum Dominationum
Vestrarum amici et fratres obsequentissimi,
Senatores et Consiliarii status utriusque
Magni Ducatus Lithuaniae.

z) *sic in ms.*

*N. 1932.*

*s.l., 19.VIII.1564.*

*Sebastianus Ciechański*
*Alberto in Prussia duci*
*mittit nova de bello contra Moscos et alia.*

*Sigill. Autogr.*

*H B A, B 2, K.395.*

Illustrissime Princeps *etc.*

Sunt mihi litterae, una adiunctis meis ad Serenissimum Regem, Illustrissimae Celsitudinis Vestrae, Domini mei clementissimi, per Domini Narussowicz famulum traditae, quas Suae Regiae Maiestati et Domino Friderico ab Aulacken sine omni mora tradidi, et responsum Illustrissima Celsitudo Vestra ad has brevi a Sacra Regia Maiestate recipiet. Reciperet quidem Illustrissima Celsitudo Vestra nunc ante discessum Regis, sed non potuerat tam cito fieri. In crastinum, Deo volente, discessura est Sacra Regia Maiestas ex Parczow versus Kniszinam, sed hoc in itinere, quam diligentissime potuero, solicitabo.

Nunc primum etiam, Illustrissime Princeps, id est 15 Augusti, ex castris Poloniae ad Sacram Regiam Maiestatem veni. Quae erant posita circa fluviam [a] Boristenes apud Orssa, et exercitus Domini Stanislai a Gorka circa Bilicza, 10 milliaria a Supremo Campiductore. Hi, aliquod ex ipsis, qui erant in numero 3000, irrumpuerunt se armata manu sub Szmoliensko, suburbium Szmolicense, una cum tribus monasteris optimae aedificatis, et a 7 milliaria in latitudine et in longitudine 25, simul cum aliquod millibus Moschorum laicorum, per ignem devastaverunt et in nihilum redierunt, quod neque unus pagus in hac parte fluvii Boristenes nullus potest inveniri. Iterum in Iulio exercitus tercius Poloniae, Nicolaus, Palatinides Russiae, una cum Pieczohurczi sub Jezieriscza, in capitaneatu Domini Ostaphiei Wolowicz, quatuor milia cum medio Moschos interfecerunt et 8 magna pixida una cum mille parvis, dictis hakownice, reciperunt, et Capitanei filium Szmolicensis decolaverunt.

Moschi vero vicissim nunc dolens vicem̃ amicorum suorum, nondum sunt elapsi tres septimanae, sub Msczisslaw, absque scitu nostrorum irrumpuerunt et illic plus quam 900 domos nobilium per ignem devastaverunt et omnia adimerunt. Haec terra Rutenorum, Illustrissime Princeps, tam est devastata, vix mihi potueram emere in itinere hoc per tres dies et adhuc cari praecio panem et alia necessaria, ne intereamus. Est nimis magnus fletus orphanorum hominum, qui neque victum neque mansionem habent, sed tantum in sylvis habitant.

5 Augusti propter victum 2 castra ex Orssa una cum exercitu versus Poloczko ad Liepel iter fecerunt. 10 Augusti exercitus Lituanicus ex Minsko discessit versus Borissowo, ad capitaneatum Radziwilensem. Ex Borissowo, ita arbitror, Szmolienskam versus.

Cum veni ad Regiam Maiestatem, inveni iam, Illustrissime Princeps, unionem limitatam ad proxima Comitia Trium Regum propter absentiam procerum Lituanicorum et propter haec impericula, quod grassantur Tartari Przekopienses (uti conducti cari pretio a Moscho) in Podolia et Volinia.

De profectione Regis in bellum mentio quidem est, sed non finalis.

Habemus etiam novas constitutiones de acquirendis peccunis ad

hunc arduum negotium, ad 3 centena millia, propter defensionem etiam Livonorum, ubicunque locorum, et exequutio nihil nocebit.

Domini Cancellarii proficiscentur una cum Regia Maiestate. Alii proceres omnes domum abierunt.

Mandata saevera ex Cancellaria Vicecancellarii contra haereticos ad omnia dominia progrediuntur. Libenter mitterem Illustrissimae Celsitudini Vestrae copiam, sed sunt Polonice scripta. Plura non sunt... Raptim, 19 Augusti, anno 1564.

Illustrissimae Celsitudinis Vestrae
humilimus et deditissimus
servitor
Sebastianus Cziechaniski manu propria.

a) *omnes errores in textu occurrentes incorrectos relinquimus.*

*N. 1933.*

*Wojno, 20.VIII.1564.*

*Petrus Myszkowski, R.P. vicecancellarius,*
*Alberto in Prussia duci*
*de cura sua in promovendo negotio Ioannis Alberti ducis Megapolensis in causa archiepiscopatus Rigensis fratri suo* [*Christophoro*] *tradendi.*

*Sigill. Autogr.*

*H B A, B 2, K.395.*

Illustrissime Princeps *etc.*

Negotia Illustrissimae Celsitudinis Vestrae sollicitavi apud Maiestatem Regiam, Dominum meum clementissimum, quanta maxima potui diligentia. Quid autem profecerim, cognoscet Illustrissima Celsitudo Vestra ex litteris et responso Maiestatis eius.

Quod attinet negotium Illustrissimi Domini Ducis Megapoliae Ioannis Alberti, illud quidem mihi tantae curae fuit et hic Parcoviae et Varseviae, ut nihil unquam maiore studio et diligentia mihi curasse videor.[z] Facile enim intelligo in eo contineri et salutem Livoniae et dignitatem Maiestatis Regiae, neque video Maiestatem Regiam alienam esse ab eo, de quo Varseviae constitutum est, quanquam non desint plurimi, qui hoc ad reprehensionem rapere velle videntur. Sed cupit Maiestas eius, ut prius satisfiat pactis conventis, antequam adeat Illustrissimus Dux Megapoliae possessionem Archiepiscopatus. Qua de re quoniam non misit suos Nunctios Parcoviam, ita ut cum Maiestate Sua convenerat, non visum est etiam Maiestati Regiae aliquid de tradenda possessione praecipitanter agere.

De caeteris rebus, de quibus egit Illustrissima Celsitudo Vestra cum Maiestate Sua, cognoscet abunde[a] ex litteris et responso Maiestatis eius. Ego cuperem rebus omnibus probare Illustrissimae Celsitudini Vestrae meam erga illam summam observantiam. Quod si id minus cumulate

facio, tribuet Illustrissima Celsitudo Vestra non negligentiae meae, sed vel rei difficultati, vel iniquitati temporum... Datum Voino, die 20 Augusti, anno 1564.

Illustrissimae Celsitudinis Vestrae
obsequentissimus servitor
Petrus Miskovski.

a) *in ms.* abude
z) *sic in ms.*

*N. 1934.*

*Cnissini, 8.IX.1564.*

*Sebastianus Ciechański*
*Alberto in Prussia duci*
*scribit nova de clade Moscis illata, de futuris Comitiis et alia.*

*Sigill. Autogr.*

*H B A, B 2, K.395.*

Illustrissime Princeps *etc.*

Sunt haec allata, Illustrissime Princeps, ad Suam Regiam Maiestatem, quod 4 Septembris 1000 equi, tam Lituanorum quam Ungarorum, inter quibus [a] etiam aderat Zaremba Ungarus, penes fluviam nucupatur Dzwina, 1 milliare a Poloczko, Moschos quatuor millia cum dimidio interfecerunt et submerserunt et 25 primates ad se receperunt. Ex nostris tantum 20 perierunt. Sacra Regia Maiestas auditu eo nimis laeto animo est.

Iam Sacra Regia Maiestas non proficiscetur bellum, sed commisit aulam suam supremam, quae erat Grodnae et Brzesczie, Dominis Hieronymo Szieniawski, Palatinidi terrarum Russiae, et Maczieiowski. Hi iam, tanquam gubernatores, vices implebunt regias.

Sacra Regia Maiestas propter alia ardua negotia 18 Septembris Petricoviam ad manendum et expectandum Comitia, quae sunt assignata ad Trium Regum, proficiscetur.

Tartari nunc magnam iacturam in terris Podoliae et Voliniae fecerunt. Arcem Szieniawa combureruntet alia multa per ignem devastaverunt.

Regis Swetiae [1] Legatus non impetrando foedera et alia prorsus nihil, iam ex Knissin abiit.

In aula regia nunc sunt multi, praesertim Pruteni et Lituani, et 2 Cancellarii. Plura, Illustrissime Princeps, non sunt... Kniszini, 8 Septembris, anno 1564.

Illustrissimae Celsitudinis Vestrae
servitor
Sebastianus Cziechaniski manu propria.

a) *omnes errores in textu occurrentes incorrectos relinquimus.*
1) *Ericus XIV.*

*N. 1935.*

*Cnissini, 8.IX.1564.*

*Petrus Myszkowski, R.P. vicecancellarius,*
*Alberto in Prussia duci*
*de archiepiscopatu Rigensi Christophoro duci Megapolensi deferendo.*

*Sigill.*

*H B A, B 2, K.395.*

Illustrissime Princeps *etc.*

Non aliud studium attuli hoc tempore ad procuranda apud Maiestatem Regiam negotia Illustrissimi Domini Ioannis Alberti Ducis Megapolensis, quam soleo adferre ad eorum negotia, quos mihi colendos et omni veneratione prosequendos proposui. Idque feci tum Illustrissimae Celsitudinis Suae causa, tum etiam propterea, quod me eadem opera Illustrissimae quoque Celsitudini Vestrae rem gratam facere iudicavi. Verum quid profecerim, ex literis Maiestatis ipsius Illustrissima Celsitudo Vestra cognoscet. Nimirum a proposito suo Maiestas Sua dimoveri se non est passa, ostenditque se non constitutis prius reliquis conditionibus ad dimittendam Archiepiscopatus Rigensis possessionem adduci non posse. Quod sane Illustrissimae Celsitudini Vestrae mirandum etiam videri non debet. Novi enim, quam universis Regni Ordinibus, statim ab ipso initio, adversa acciderit haec Maiestatis ipsius benefica in Illustritatem Suam voluntas, quod intellexissent Maiestatem Suam propendere ad eam rationem deferendi Archiepiscopatus, quae postea inter ipsam et Illustrissimum Dominum Ioannem Albertum Varsoviae est conclusa.

Quod si adhuc de dictis conditionibus quicquam a Maiestate eius remitteretur, et non expletis prius rebus reliquis ad dimittendam possessionem veniretur, intelligit Illustrissima Celsitudo Vestra pro sua prudentia, in quantas difficultates res omnis recasura videatur. Quod cum ita sit, mihi quidem potius videbatur Illustrissimum Dominum Ioannem Albertum tuto tandem ad eam possessionem pervenire, omnibus rebus, quae praecedere debent, prius ex voluntate utriusque partis constitutis, quam tumultuaria qualicunque possessione interim accepta, semper de illa vacillare.

Quod ut etiam in eam partem ab Illustrissima Celsitudine eius accipiatur, Illustrissima Celsitudo Vestra, pro sua apud Illustritatem eius gratia et auctoritate, perficiat atque Celsitudinem eius ad amovendum eas copias ex Livonia, quas illuc praemisisse dicitur, persuasionibus suis adducat... Datum in Kniszin, die VIII Septembris, anno Domini MDLXIIII.

Illustrissimae Celsitudinis Vestrae
[a] obsequentissimus servitor [b]
Petrus Mischkowski, Regni Poloniae Vicecancellarius,
[a] manu sua.[b]

a)-b) *manu propria.*

*N. 1936.*

*Varsaviae, 27.IX.1564.*

*Petrus Myszkowski, R.P. vicecancellarius,*
*Alberto in Prussia duci*
*in negotio exsecutionis in Prussia rex non solum Prussorum, sed etiam Polonorum rationem habere debet; in rebus Sueticis iudicium regis congruit cum sententia ducis et regis Daniae; de Gedanensibus Suetis faventibus rex male est contentus; in negotio ducis Megapolensis rex a sententia sua abduci non potest.*

*Sigill.*

*H B A, B 2, K.395.*

Illustrissime Princeps *etc.*

Retuli omnia ad Regiam Maiestatem diligenter, quaecumque ex Illustrissimae Celsitudinis Vestrae literis intellexi. Ac quod executionem quidem attinet, res ita habet, uti nuper ex Regiae Maiestatis literis Illustrissima Celsitudo Vestra cognovit. Et quanquam Regia Maiestas harum omnium rerum vigori moderationem se adhibituram esse, pro sua singulari clementia, neque semel neque privatim tantum ostenderit, rationemque se esse habituram in exequendis publicis legibus non solum Prussorum, sed etiam Polonorum receperit, tamen fit nescio quomodo, ut Prussi praecipue, quibus id saepius atque adeo solennius quodammodo tum privatim, tum publice promissum est, maxime omnium diffidere videantur. Prorsus ut quidam illorum Syris et Hebraeis esse videantur ad credendum duriores, nec magis quicquam curae habeant, quam ut coeptam hanc executionis rationem quovis modo inficiant, in qua equidem tantum Reipublicae huius momentum est constitutum, ut qui ab illa abhorreat, quive illam detrectet, is ab omni huius Reipublicae recta constitutione abhorrere et omnes leges omnemque rectam Reipublicae constitutionem detrectare videatur.

Quorum tamen conatus perniciosi propositum Regiae Maiestatis minime immutabunt, quin ita, uti recepit, in ratione executionis huius clementem moderationem sit adhibitura, ut eodem in facto suo ostendat et legibus publicis vim se restituere et meritorum cuiusque in Rempublicam iustam rationem habere. In quo sane etsi dissimulari non debet Prussorum quoque nonnullorum fidem erga Regnum Poloniae et studium singulare extitisse, tamen illud negari non potest eam provinciam, partim virtute nostrorum hominum eximia, partim pactionibus, ad corpus Regni adiunctam atque adeo restitutam esse, ut quoties de Prussiae commodis ac privilegiis sermo est, non magis studii quorundam Prussorum, quam virtutis Polonorum habenda esse ratio videatur.

De rebus Suedicis gratum est Regiae Maiestati congruere consilium Illustrissimae Celsitudinis Vestrae cum sententia Maiestatis eius. Equidem uti hoc tempore nullas pacis conditiones separatim a Serenissimo Daniae Rege acceptare Maiestas eius voluit, ita deinceps in belli huius Suedici conditione rationes suas cum rationibus Serenitatis eius com-

munes prorsus existimatura est, persuasa ipsius quoque Serenitatem eodem animo, si quando eo ventum fuerit, erga se futuram. Quod quidem ipsi quoque Illustrissimae Celsitudini Vestrae merito curae esse debet. Nec minus illud, ut de exploratoribus Suedicis certius aliquid ad Maiestatem Regiam, quemadmodum pollicetur, perscribat.

Etsi enim Maiestas eius tum de Firstembergio, tum de quibusdam praeterea aliis, a nonnullis Germaniae Principibus immissis, non ignorat eique rei, quantum maxime potest, prospicit, tamen avet quoque ex Illustrissima Celsitudine Vestra de omnibus cognoscere, quae ad illam forte in hoc genere perferentur. Gedanensium quoque praeposterum hoc et periniquum in supportando Suedis commeatu propositum iam pridem Regiae Maiestati ignotum non est. Itaque et Varsoviae in Comitiis praesentes, et per literas deinde, admoniti sunt graviter a Maiestate eius, ut abstinerent. Affirmabant, etiam religione interposita, se omnino ab hac culpa immunes esse. Verum, ut video, tum maxime fallunt, cum maxime id agunt, ut boni viri esse videantur, quemadmodum ex literis Illustrissimae Celsitudinis Vestrae intelligo.

De Illustrissimo Domino Ioanne Alberto Megapolensi quae sit Maiestatis eius sententia, ex ipsius literis Illustrissima Celsitudo Vestra cognoscet. Meum studium[a] cum omnibus in rebus, tum in hoc praecipue Archiepiscopatu Rigensi Illustritati eius non defuit, quod id tam Illustritati eius, quam Illustrissimae Celsitudini Vestrae, cui omnia mea probare cupio, gratum fore perspiciebam. Sed Maiestas Regia a proposito suo abduci non potest, quod ego quidem tum ex ipsius Maiestatis dignitate, tum ex Illustrissimae quoque Megapolensis Familiae securitate esse iudico. Intelligi enim potest, nisi rite possessio adeatur, perfectis omnibus conditionibus et summa utriusque partis consensione ac voluntate, quam reliqua omnia infirma sint futura. Nam sumptus quidem, qui per Illustritatem eius in militem facti esse dicuntur, videndum est, ne a nimium properante Illustritate eius facti esse videantur. Quae prius fortassis de caeteris rebus, quae erant in suspenso, cum Maiestate Regia convenire, quam sumptus in eas res ullos facere debuit, praesertim si id ad eum modum communibus pactis erat constitutum. Nunc ne ipsa quidem Regia Maiestas a sumptibus propemodum infinitis vacat, quos fecit et adhuc facit in illius provinciae defensionem. Quod totum ut Illustrissima Celsitudo Vestra ex utraque parte expendat, Maiestas Regia ab illa etiam atque etiam postulat.

Mutuum ut Illustrissimae Celsitudini Vestrae reddatur, provisuram se esse Maiestas Regia affirmat daturamque operam, ne quod inde damnum ad Illustrissimam Celsitudinem Vestram pervenisse videatur. Literas Illustrissimae Celsitudinis Vestrae ad ipsam, sicut voluit, remitto, meque in gratiam et benevolentiam illius etiam atque etiam commendo. Datum Varsoviae, die XXVII Septembris, anno Domini MDLXIIII.

[b] Illustrissimae Celsitudinis Vestrae
obsequentissimus servitor
Petrus Miskovski.[c]

a) *sequuntur expuncta verba*: Illustritati eius
b)-c) *manu propria.*

N. 1937.

Petricoviae, 18.XI.1564.

*Petrus Myszkowski, R.P. vicecancellarius,*
*Alberto in Prussia duci*
*litteras ducis ad Ioannem Albertum ducem Megapolensem scriptas remittit; diligentiam ducis in asservandis instrumentis monetariis rcgi gratam esse nuntiat.*

*Sigill.*

*H B A, B 2, K.395.*

Illustrissime Princeps *etc.*

Illustrissimi Domini Ioannis Alberti Ducis Megapolensis Internunctius, Dominus Pfeiferus, iam hinc discessit. Itaque literas Illustrissimae Celsitudinis Vestrae ad eum scriptas remitto. De diligentia Illustrissimae Celsitudinis Vestrae in asservandis instrumentis monetariis certiorem feci Regiam Maiestatem. Pergrata fuit Maiestati eius haec Celsitudinis Vestrae, de qua nunquam dubitavit, sedulitas. Optamus autem Illustrissimam Celsitudinem Vestram prospera valetudine ac foelici rerum omnium successu a Deo Optimo Maximo cumulari eique ego studia mea officiaque paratissima defero. Datum Petricovii, XVIII die mensis Novembris, anno Domini MDLXIIII.

[a] Illustrissimae Celsitudinis Vestrae
obsequentissimus servitor
Petrus Miskovski.[b]

a)-b) *manu propria.*

N. 1938.

Petricoviae, 21.XI.1564.

*Petrus Myszkowski, R.P. vicecancellarius,*
*Alberto in Prussia duci*
*de negotio matrimoniali Curlandiae ducis [Gottardi Kettler]; de pecunia duci Alberto numeranda.*

*Sigill.*

*H B A, B 2, K.395.*

Illustrissime Princeps *etc.*

Exposui copiose Regiae Maiestati responsa Principum omnium de matrimonio Illustrissimi Curlandiae Ducis. Indicavi etiam Illustrissimum Dominum Ioannem Albertum Ducem Megapolensem literis ad Illustrissimam Celsitudinem Vestram propria manu scriptis spem fecisse, si Regia Maiestas urgere velit, haberi posse responsum longe prius, quam ante festum Paschatis, ad quod tempus reiectum esse videtur. Nihil denique intermisi, quod ad augendum eius matrimonii apud Regiam Maiestatem desiderium facere posse iudicavi. Ac primum quidem submirari nonnihil visa est Maiestas eius, quod ad eam legationem, a summa Regiae Maiestatis erga eam familiam benevolentia magna cum Maiestatis eius fiducia profectam, cunctanter quodammodo nimis primum quidem ipsa Illustris-

sima mater, dein fere ipsi etiam Illustrissimi fratres aliquantulum responderint. Sed passa tamen deinde est Maiestas eius in eam sententiam se pertrahi, ut non recuset denuo literas ad Illustrissimae Principis tutores scribere easque per puerum suum transmittere, quod mihi praecipue Illustrissima Celsitudo Vestra in literis suis cupere visa est.

Incidit autem nobis de donatione propter nuptias scrupulus. Nam cum videamus plerosque Principum eius cautionis exemplum sibi transmitti cupere, frustra nunc literas mitti existimavimus, nisi de donatione hac propter nuptias prius conveniatur. Videtur autem haec res praecipue ipsum Curlandiae Illustrissimum Ducem spectare, deinde vero Maiestatem eius, ad quam confirmatio eius negotii pertinebit. Est vero summa totius matrimonii, ut ego quidem arbitror, in eo sita. Itaque ad Illustrem Celsitudinem Vestram hoc negotium reiicitur, quae Illustrissimo Duci Curlandiae, quid facto sit opus, explicare eiusque Celsitudinem consilio iuvare poterit. De quo capite, tanquam praecipuo, ubi conventum fuerit, dignabitur demum Illustrissima Celsitudo Vestra nos quoque certiores reddere, quid in eo negotio recte possimus atque praestare debeamus. Ego vero et pro mea erga Illustrissimam Celsitudinem Vestram observantia, et quia Illustrissimo Curlandiae Duci omnia prospera cupio, libenter, quantum in me erit, studio meo operaque hoc ipsum negotium adiuvero.

Complellavi quoque Regiam Maiestatem de pecunia Illustrissimae Celsitudini Vestrae numeranda. Quaesta quidem est angustias aerarii sui, quod incredibiliter hinc inde exhauritur. Promisit tamen brevi se vel pecuniam ipsam numeraturum, vel assignaturum, unde certo Illustrissima Celsitudo Vestra quod suum est consequi possit. Quae brevis mora in hac publica necessitate ne Illustrissimae Celsitudini Vestrae sit molesta, etiam atque etiam et Regia Maiestas cupit et ego vehementer rogo... Datum Petricovii, XXI Novembris, anno Domini MDLXIIII.

a) Illustrissimae Celsitudinis Vestrae
obsequentissimus servitor
Petrus Miskovski.b)

a)-b) *manu propria.*

*N. 1939.*

*Sieniciae, 30.XI.1564.*

*Nicolaus Rey de Nagłowice*
*Alberto in Prussia duci*
*pro benevolentia filio suo exhibita gratias agit et se in gratiam ducis et filii eius ipse commendat.*

*Sigill.*

*H B A, B 2, K.395.*

Illustrissime Princeps *etc.*

Dominus Deus Optimus Maximusque prosperare dignetur Illustrissimae Celsitudinis Vestrae omnes in bona valetudine prospero z) successus, in laudem et gloriam nominis sui et in consolacionem non tantum nobis servis, sed tocius Reipublicae Christianae.

Perpetuum mancipium et servus Illustrissimae Celsitudinis Vestrae,

filius meus, redditus est mihi per manus Egregii viri Domini Kwiatkowsky,[1] curiensis Illustrissimae Celsitudinis Vestrae, et letatus sum in his, que dicta sunt mihi, quia et educacio et mores indicant in eo, quod fuit in aula magni Principis et, quod maius, quod Illustrissima Celsitudo Vestra non abdicavit illum a serviciis suis et filii sui, in quo, ut fama fertur, bona spes non tantum parentibus, sed et Republicae alitur et speratur. Pro tanta benignitate quid retribuam Domino, pro his, que tribuit mihi, ego apud me invenire non possum, tantum Dominum Deum exorare et famam tanti Principis divulgare, cuius laus semper erit in ore meo, et calice salutaris accepto, inter milites Polonos saluti Illustrissimae Celsitudinis Vestrae benedicere.

Et quia Dominus Kwiatkowsky per hoc tempus retentus est, invenit me usque Russiae[z] et in magno conventu militaris[z] illius provinciae, qui erant vocati ad nuptias filiae meae. Qui omnes insimul, una mecum, extollebant laudes Illustrissimae Celsitudinis Vestrae et benedicebant nomini tuo, Domine. Quem cum graciorum[z] accionibus et redita benevolencia iterum ad curiam Illustrissimae Celsitudinis Vestrae remisi rogando, ut me in graciam Illustrissimae Celsitudinis Vestrae ac bone spei Illustrissimo filio, Domino meo et filiorum meorum clementissimo, recommendet. Pro quo suppliciter oro, ut semper sim in catalogo servorum Illustrissimae Celsitudinis Vestrae ac filii sui, quos Deus faustos felicesque servet ad gloriam nominis sui per omnia secula seculorum. Amen. Datum Szienyciae, die ultima Novembris, anno 1564.

[a] Vestrae Illustrissimae Celsitudinis
fidelissimus ac deditissimus servitor
Nicolaus Rey de Naglovicze.[b]

a)-b) *manu propria.*
z) *sic in ms.*
1) *Martinus.*

*N. 1940.*

*Zarzecze, 3.XII.1564.*

*Adamus Zieleński, iudex terrestris Lukoviensis,*
*Alberto in Prussia duci*
*pro beneficiis, in filium suum collatis, gratias agit et petit, ut idem filius suus in servitio ducis diutius manere possit.*

*Sigill.*

*H B A, B 2, K.395.*

*N. 1941.*

*Glinki 8.XII.1564.*

*Anna Niszczycka, vidua Alexandri Iłowski palatini Plocensis,*
*Alberto in Prussia duci*
*se apud regem non de duce, sed de praefectis eius, conquestam esse declarat, qui restitutionem subditorum profugorum sibi denegaverint.*

*Sigill.*

*H B A, B 2, K.395.*

*N. 1942.*

*Petricoviae, 9.XII.1564.*

*Sebastianus Ciechański*
*Alberto in Prussia duci*
*scribit nova de obsidione arcis Polocensis, de Tartaris, de rebus Valachiae et alia.*

*Sigill. Autogr.*

*H B A, B 2, K.395.*

Illustrissime Princeps *etc.*

Caelare non possum Illustrissimam Celsitudinem Vestram, tanquam Dominum meum clementissimum, quin pro debito officii mei ex aula regia aliquid non [a] scripserim. Illustrissimamque Celsitudinem Vestram haud non inviserim. Imprimis, Illustrissime Princeps, quod tam diu aliquid Illustrissimae Celsitudini Vestrae non scripsi, factum non per negligentiam meam est, sed forssan propter pestem, quae grassatur, ni fallor, per totum dominium Sacrae Regiae Maiestatis, excipiendo terram Podoliae, quod vix potest aliquis ex itineribus Petricoviam ad nos venire. Cracoviae nimis grassatur. Vilnae vix possunt inveniri 10 homines, qui [b] corpora hominum non possunt ex domicillibus suis propter paucos homines sepelliri, sed tantum canes devorant.

Sua Regia Maiestas una cum tota aula sua (volente Deo) optime valet, nisi unus aulicus iam senio confectus, nomine Wlodzisslawski, iacendo per 3 dies 5 Novembris obiit.

Nova haec sunt, Illustrissime Princeps: 15 Octobris castra, tam Polonica quam Lituanica, sunt a Poloczko seposita, et hoc factum est propter instrumenta bellica (aut etiam propter discordiam). Erat clamor et magnae triumphae in Poloczko, irridens ex nostris, dicens: Quid statis ociosi, aspicientes ad arcem Polocensem? Eatis melius in domos vestras, nihil lucrabitis, nam est arx Polocensis apud nostrum Principem in maiori authoritate, quam erat ante apud vestrum Regem. Lituani domum iverunt, Poloni vero circa Zwie iacentes, pecora in campis caedunt.[c] Equi eo tempore sunt mortui 5000 millia.[z] Et arx Polocensis est tam bene instructa et instrumentis bellicis providenda, multo plus quam Szmolinsko. Et haec sunt verba propria Moschi: [1] Malim, ut mihi Rex reciperet civitatem Moskwam, una cum Szmolinsko, quam arcem Polocensem. Nam ego mea propria cura, capite meo recepi Poloczko. Nam si ego iterum amiterem Poloczko, o quanta fama per totum orbem de me spargeretur! Eo tempore erat infirmus in Moskwa, quum nostri erant circa Poloczko. Venerant ad illum duo Metropolitani, id est Episcopi, summi Consiliarii ipsius. Admonebant Moschum per Deum, ne esset tam crudelissimus erga christianissimum Regem et consanguineum suum, et ut traderet Poloczko vel Szmoliensko et iniret in amicabilem compositionem per christianissimos alios Principes, dicens: Memineris, cum Sigismundus, parens tui fratris Sigismundi Augusti, tum temporis Regis Poloniae, quum devastabat terram tuam et potuerat Starodub in suam potestatem recipere, et utique oblitus facinora tua, commotus misericordia erga te sua, relinquit te in pace. Igitur et tu similiter fac. Ille vero respondit: Quum ego recuperabo vires meas, daturus sum vobis admonitionem knucziem.

16 Octobris Tartari Przekopienses 80 Petricoviam in legatione venerunt offerebantque Regiae Maiestati, nomine sui Caesaris, missuros iam suum exercitum 80000 millia [z] erga Moschum. Et de spoliatione illorum

in terram Podoliae, quod in mense Augusto fecerant, dicebant se suum Caesarem in hac re nesciturum. Verbis tantum absolvunt, pessimi homines, et fraus in illorum dominatur, et stipendia sua una cum pellicibus ad hunc usque diem cum summo incommodo Regiae Maiestatis expectantur.

Servitor Kniezu Kurpskiemu, Moscho illi, qui sua sponte venit ad Regiam Maiestatem, in Moskoviam aufugit, et ipse forssan brevi dabit fugam.

Ultima Octobris alii Tartari, nomine Kozansczi, 500 in Podoliam spoliandi irruerunt. Undique angustiae. Palatinus Russiae Szyeniawski una cum Alberto Laski, qui etiam celebrabat nuptias cum Kniehinia Ostrowska vetula,[2] uxoris [3] Domini a Gorka matre, hi cum aliquot centenis versus hos Tartaros iverunt.

Cubicularius regius 10 Novembris advenit a Rege Ungariae,[4] dicens se accepturum Maximiliano, novo Caesari, 13 arces in Ungaria. Exercitum habet Turcos 8000 et Ungaros 12000.

Hoc sciat Illustrissima Celsitudo Vestra: 13 Novembris aeditae sunt ex Cancellaria Regiae Maiestatis litterae significatoriae Conventionis Regni, et caelebrabuntur Petricoviae in crastino Trium Regum.

Dominus Jazlowieczki [5] ex Constantinopolim,[z] qui erat in legatione a Regia Maiestate ad Caesarem Turcarum missus, citis itineribus ad Regiam Maiestatem proficiscitur, et quod habuerat socios vel servitores suos secum, hi in Turcia obierunt. Et loco ipsorum mortuorum alios christianos Turca, hos, qui erant detenti in captivitate cum Wiszniowieczki,[6] Domino Jazlowieczki ad serviendum dedit. Hoc etiam auditur: Cum esset iam in itinere Jazlowieczki, mortuum Caesarem Turcarum esse.

16 Novembris Legati Ducum Pomeraniae,[7] eodem die etiam Alexandri Palatini Moldaviae in cubiculo regio audientiam privatim habuerant.

20 Novembris nova venerunt, Jezieriscza arcem, capitaneatum Osthaphii Wolowicz, in obsidione a Moschis fore et, ut affirmant, se iam accepturum. Et ipse Moschus sua persona, una cum isto exercitu, qui erant in Wielki Luki, versus Withepsko iturus. Quod Deus absit.[z] Misit eo Sacra Regia Maiestas resciturus, et litterae restium in Cancellaria Lituanica etiam sunt in promptu, ut miseri Lituani eo iterum in bellum proficiscerent.

Dominus Wolski, Castellanus Ravensis,[8] ys a Regia Maiestate ad Caesarem Romanum in Octobre mense est missus.

25 Novembris litterae venerunt ex Valachia ad hunc Legatum Alexandri. Quae narrant arcem Choczim, quae erat in possessione a Domino Laski, esse igne [d] combustam. Et ille solus Palatinus Moldaviae Alexander, manendo in Szoczowa 12que Consiliarios suos decolando, factus est caecus. Et statim post hunc diem in tota terra Moldaviae, ad hunc usque diem, nimis grassatur pestis.

30 Novembris Dominus Ostaphiei Wolowicz per servitorem suum, ad Regiam Maiestatem missum, iam Jezieriscza die 6 Novembris [c] a Moscho accepturus, ut et omnes aiunt (absque dubio), sed Sua Regia Maiestas citis itineribus prima Decembris ad sua Polonica castra misit, ut aliquid adiumenti sint etc.

3 Decembris venerunt ad Sacram Regiam Maiestatem nova, quod Legatus Moschi (qui erat missus ad Caesarem Przekopiensium Tartarorum cum magnis donis, ut abstineret a devastatione terrae ipsius dictam [z] Kosanie) a Michailo Wiszniowieczki, Capitaneum Czirkassiensem, est interfectus et spoliatus per 300 koliass.

Religio serius adhuc iam cuditur, quam haec, quod ex hoc exempli mandato Parczoviae aedito Illustrissima Celsitudo Vestra potest intelligi.

Dominus Cancellarius Dembienski, is cum Domino Gabrieli Tarlo sunt nimis infirmi, vix possunt vivi.

Plura non sunt, Illustrissime Princeps... Raptim Petricoviae, 9 Decembris, anno Domini 1564.

Illustrissimae Celsitudinis Vestrae
servitor
Sebastianus Cziechaniski manu propria.

a) *omnes errores in textu occurrentes incorrectos relinquimus.*
b) *correctum ex*: quod
c) *indistincte scriptum*: aedunt?
d) *supra lineam.*
e) *verba*: die 6 Novembris *in margine scripta.*
z) *sic in ms.*
1) *Ioannes IV Basilides.*
2) *Beata Ostrogska Kościelecka.*
3) *Elisabeth ("Halszka") Ostrogska.*
4) *Ioannes Sigismundus.*
5) *Georgius Jazłowiecki.*
6) *Demetrius Wiśniowiecki.*
7) *Barnim IX et Ioannes Fridericus.*
8) *Stanislaus Wolski.*

*N. 1943.*

*Petricoviae, 20.XII.1564.*

*Ioannes Dulski, capitaneus Rogosnensis,*
*Alberto in Prussia duci*
*negotia* [*Martini*] *Kwiatkowski, servitoris ducis, commendat.*

*Sigill.*

*H B A, B 2, K.395.*

*N. 1944.*

*Petricoviae, 22.XII.1564.*

*Nicolaus Łaski, incisor Regni Poloniae et capitaneus Marienburgensis,*
*Alberto in Prussia duci*
*servitorem suum, Martinum Kwiatkowski, laudat et duci commendat.*

*(Germanice)*

*Sigill.*

*H B A, B 2, K.395.*

*N. 1945.*

*Petricoviae, 31.XII.1564.*

*Petrus Myszkowski, R.P. vicecancellarius,*
*Alberto in Prussia duci*
*mittit litteras regias in negotio Curlandico ad tutores ducissae scriptas; petit, ut dux aequo animo ferat moram in persolvenda sibi pecunia; scire cupit numerum vasorum vini duci per Erasmum Kuffel deducendorum, ut immunitas a teloneo concedi possit.*

*Sigill.*

*H B A, B 2, K.395.*

N. 1946.

Petricoviae, 31.XII.1564.

*Sebastianus Ciechański*
*Alberto in Prussia duci*
*varia nova ex aula regia et de bello Moscovitico scribit.*

*Sigill. Autogr.*

*H B A, B 2, K.395.*

Illustrissime Princeps *etc.*

Cum proficiscitur Martinus Qwiatkowski ad Illustrissimam Celsitudinem Vestram, tanquam Dominum meum clementissimum, praetermittere non potui, quin ad Illustrissimam Celsitudinem Vestram litteras meas non darem et aliquid ex aula regia haud communicarem. Ut imprimis ante aliquod[a] dies scripsi Illustrissimae Celsitudini Vestrae de Magnificis Dominis Cancellario[1] et Tarlo,[2] hi iam, Deo volente, utcunque convaluerunt. Hieronymus Chotkiewicz, una cum Magnifico Domino Ianussio a Kossczielecz, Capitaneo Posnaniensi, in mense Decembre obierunt.

19 Decembris Legatos Tartaricos iterum ad Caesarem suum Przekopiensem ablegaverunt. 26 Decembris alii Legati a Caesare Tartarico Przekopiensi advenerunt, nuncians Sacrae Regiae Maiestati se victoriam obtinere in Moschovia. A civitate Moscha 18 milliaria distabant et illic novem civitates igne devastabant cum summo ipsius incommodo. Solus Moscha[3] nunc iter facit ex Mosaisko versus Smolinsko, et a Szmolinsko iam habet suum animum castra sua ponendi circa Withepsko. Exercitum suum habet apud Newel 1400 et in Wielki Luki 2400.

Lituani vero, videns animum Moschi, quod iam vult erga illos crudeliter se gerere Jezierisczaque, quod nuper accepit, bene instruere, scripserunt ad Suam Regiam Maiestatem, ut tantum ad quatuor annos inducias cum Moscho reciperet. Et Sacra Regia Maiestas, irra[b] commotus, mandavit serio ad illos scribere, ut aliter ne fecerint, sed ut omnes et singuli absque omni mora ad festum Epiphaniarum ad locum nominatum Mynsko se congregaverint, misitque eo hodie cubicularium suum ad castra Polonica ad Iwienyecz, ut[c] et hi illic se contulerint. Misitque etiam alium ad Olkiny pro instrumentis bellicis. Nos omneis, quod sumus in regia aula, iudicamus, quod brevi absolvetur Petricoviae Conventio Generalis, et finiendo, opportet ascendere Sacrae Regiae Maiestati equum. Nam inter Lituanos multi sunt vocati, pauci vero electi. Et iam et inter Italos fraus vere dominatur. Adduxerunt unum, qui fraudulenter erga Regem nostrum procedebat, forssan in hac septimana luet[d] poenas cum comitatu suo.

Quod attinet de Turca,[4] is adhuc vivit. Iam Dominus Jazlowieczki domum suum venit venietque ad Regiam Maiestatem Petricoviam post Epiphaniarum. Non tantum, ut auditur, cum solo Turca, sed etiam et cum filio ipsius querens, cum usque a Constantinopolim[z] 300 milliaria a Rege nostro amicitiam et inducias ad vita tempora recepit. Plura non sunt, Illustrissime Princeps... Datum Petricoviae, 31 Decembris, anno 1964.

Illustrissimae Celsitudinis Vestrae
servitor
Sebastianus Cziechaniski manu propria.

a) *omnes errores in textu occurrentes incorrectos relinquimus.*
b) *correctum ex*: irratus
c) *sequitur expunctum*: est
d) *pro expuncto*: dabit *suprascriptum.*
z) *sic in ms.*
1) *Valentinus Dembiński.*
2) *Gabriel Tarło.*
3) *Ioannes IV Basilides.*
4) *Solimanus II.*

# 1565

*N. 1947.*

*Tykocin, 16.I.1965.*

*Lucas Górnicki, praefectus bibliothecae regiae,*
*Alberto in Prussia duci*
*pro benevolentia fratri suo exhibita gratias agit.*

*Sigill. Autogr.*

*H B A, B 2, K.396.*

Illustrissime Princeps *etc.*

Rediit iam ad me frater, missus ab Illustrissima Celsitudine Tua per Generosum Martinum Kwiatkowski. Quo nomine Illustrissimae Celsitudini Tuae plurimum ego debeo. Ea enim pro sua benignitate et clementia in omnes homines, non solum fratrem meum erudiendum curavit, verum etiam rationibus illius optime prospexit, ut ego me beneficio Illustrissimae Celsitudinis Tuae magnopere devinctum putem. Quare nihil est, quod Illustrissima Celsitudo Tua a me, ne durius hoc accipiam, contendat. Imo vero sic velim sibi Illustrissima Celsitudo Tua persuadeat, me huius beneficii (quod scilicet fratrem meum libenter tandiu apud Illustrissimum filium suum habuerit) perpetuo gratum ac memorem fore... Ticocini, XV Ianuarii, MDLXV.

humilis servus
Lucas Gorniczki
Illustrissimae Celsitudinis Tuae
P[raefectus] B[ibliothecae] R[egiae].

*N. 1948.*

*Petricoviae, 20.I.1665.*

*Petrus Myszkowski, R.P. vicecancellarius,*
*Alberto in Prussia duci*
*Thomam Koss commendat.*

*Sigill.*

*H B A, B 2, K.396.*

*N. 1949.*

*Petricoviae, 23.I.1565.*

*Petrus Myszkowski, R.P. vicecancellarius,*
*Alberto in Prussia duci*
*de machinationibus magistri Theutonici in Livonia comprimendis; de difficultate mittendorum in Livoniam commissariorum propter grassantem pestem; de annuo ducis stipendio etc.*

*Sigill.*

*H B A, B 2, K.396.*

Illustrissime Princeps *etc.*

Etsi non memini ad me adferri ullas Illustrissimae Celsitudinis Vestrae ad Maiestatem Regiam literas, quibus idem, quod nunc ad me Illustrissima Celsitudo Vestra scribit, perscriberetur, tamen has, quae ad me hoc tempore ab illa scriptae sunt, legi in Senatu praesente Regia Maiestate. Quo quidem tempore universus Senatus ipsaque adeo Regia illius Maiestas ita grato animo accepit factum hoc et studium ac vigilantiam Illustrissimae Celsitudinis Vestrae, u res ipsa merebatur, ex optimo animo Illustrissimae Celsitudinis Vestrae suscepta et ad salutem Regni ac dominiorum Maiestatis eius et aliarum vicinarum ditionum omnium instituta.

Equidem quod tumultum Livonicum attinet, maxime autem de practicis Magistri Teutonici [1] cum Moscorum Duce,[2] meminit Maiestas eius Regia de iis a se, tum ab Illustrissima Celsitudine Vestra, tum etiam ab aliis allatum saepe esse. Quibus sane obviam ire etsi Maiestas eius, pro sua erga illam provinciam solicitudine et benevolentia singulari, quam maxime cuperet, tamen hoc tempore fit, ut nonnihil Maiestas illius impediatur, tum intervallo quidem maiore eius loci, quo abest ab illa provincia, tum etiam angustiis aerarii sui, in quibus, exhausta tot annorum sumptibus in illam provinciam de suo factis, versatur Maiestas eius, praesertim cum per hoc universum tempus nullo pecuniario subsidio provinciae illius ad defensionem adiuta fuerit. Ac constituit quidem Maiestas illius cum Senatu suo eam provinciam, quam semel in fidem suscepit et cuius tuendae gratia bellum cum potente hoste inchoatum in suas ipsius ditiones transtulit, ad extremum non deserere, sed tamen veretur, ne, si provinciales illi omnia a Maiestate eius expectarint, ipsi autem, uti adhuc fecerunt, nihil opis ad salutem et incolumitatem suam attulerint, magnitudine eius mali, quod imminere videtur, superentur.

Itaque scripsit quidem Maiestas illius ad exercituum suorum praefectos iisque diligenter demandavit, ut salutem provinciae illius commendatam maxime habeant. Permisit etiam Illustri Curlandiae [Duci],[3] ut pecuniam, si aliter fieri non possit, vel oppignorata arce quapiam acquirat militemque conducat et provinciam tueatur. Sed multo plura sita sunt in provincialium ipsorum studiis, quorum cum propria res agatur, aequum esset eos quoque sibi ipsi non deesse. Itaque quod quidem eam rem attinet, non abs re Illustrissima Celsitudo Vestra factura videretur, si Illustrem Dominum Curlandiae Ducem, satis alioqui ad defensionem illius provinciae intentum, literis suis identidem magis ac magis confirmaret, ut Illustritas Sua vicissim reliquos provinciales tanto facilius in officio contineat, quanto magis se a pluribus videret ipsa confirmari.

Quod autem eas practicas attinet, quae per Teutonicos cum Mosco ineuntur, nihil praetermittit Regia haec Maiestas eorum, quae ad impe-

diendas et dissolvendas eas videntur pertinere. Quam ad rem maximum quoque momentum in ipsa Illustrissima Celsitudine Vestra videtur esse constitutum, ut per eos Principes, quos in Germania multos variis necessitudinibus adiunctos habet, inprimis autem per eos, quorum ipsorum res non minus agitur quam nostra, omnem hanc factionem et conspirationem comprimere studeat, sive aliis consiliis Reipublicae salutaribus, sive etiam intercipiendis iis, si qui forte ea de causa commeare deprehenderentur. De quo ipso etsi ipsa quoque Regia Maiestas ad Serenissimum Daniae Regem[4] scripsit, tamen eadem ad Maiestatem illius per Illustrissimam Celsitudinem Vestram repeti non obesset. Quod tanto libentius Vestram Illustrissimam Celsitudinem esse facturam Maiestas illius sibi pollicetur, quanto magis intelligit deferri sibi ab Illustrissima Celsitudine Vestra ad eos motus comprimendos non solum facultates, sed etiam aetatem hanc et vitam suam. Quae res Maiestati illius et omnibus accidit prorsus gratissima.

Commissarios in Livoniam mittere eadem de causa Maiestas eius nunc non potest, de qua hucusque mittere non potuit. Pestilenti enim adhuc contagione itineribus obsessis et occupatis, de qua ipse quoque Illustrissimus Dominus Curlandiae Dux Maiestati Regiae significat, difficilis est Commissariorum ablegatio. Committere autem negocium Illustri ipsi Domino Curlandiae Duci, quod scribit Illustritas Vestra, etsi maxime vellet Regia Maiestas, fidem enim et industriam Illustritatis eius habet apud se maxime exploratam, tamen re ipsa impeditur. Cum enim ipsius quoque Illustritati controversiae quaedam privatim intercedunt cum nonnullis, quaeque per Commissarios componenda essent, videtur exigua quaedam auctoritas eius commissionis fore in persona Illustritatis eius, quam multi procul dubio, cum adversarium habeant, pro iudice agnituri non essent. Cum primum pestis conquieverit, non praetermittet Maiestas Regia Commissarios ipsos ablegare.

De mutua pecunia et annuo stipendio Illustrissimae Celsitudinis Vestrae non intermitto Regiam Maiestatem admonere. Quae quidem in eo praebet se minime difficilem. Sed quoniam scio aliquot mandati literas, manu etiam Maiestatis ipsius subscriptas, ad Magnificum Dominum Castellanum Gedanensem[5] datas esse, quid amplius hinc praestari possit hoc tempore Illustrissimae Celsitudini Vestrae, non video, praesertim attenuato, ita ut scribit Illustrissima Celsitudo Vestra, Prussico aerario. Cum venerint huc Legati Illustrissimae Celsitudinis Vestrae, omnia facilius constituentur. Ut autem venire possint, provisum est iis per me de hospitio, in quo, ut existimo, acquiescent.

Comitia nostra iam sunt hic inchoata. Faxit Deus, ut qua consensione animorum initia ipsa sunt coepta, eadem reliqua decurrant ad extremum. Privilegium Doblinensis[6] Commendatoris nullum esse memini in Cancellaria mea confirmatum. Et quoniam ita vult Illustrissima Celsitudo Vestra, ne etiam deinceps confirmetur, quantum in me situm erit, tantum providebo. Commendo obsequia mea Illustrissimae Celsitudini Vestrae, quam optime valere cupio. Datum Petricoviae, die XXIII Ianuarii MDLXV.

[a] Illustrissimae Celsitudinis Vestrae
addictissimus servitor
Petrus Miskovski.[b]

a)-b) *manu propria.*
1) *Volfgangus Schutzbar.*
2) *Ioannes IV Basilides.*
3) *Gottardus Kettler.*
4) *Christianus III.*
5) *Ioannes Kostka.*
6) *Doblew.*

N. 1950.

s.l. s.d. [ante 28.I.1565]

*Stanislaus Ławski, palatinus et vicesgerens Masoviae,*
*Alberto in Prussia duci*
*petitio in negotio villulae ducis, prope bona sua Bajtkowo sitae, pro sexaginta mansis eorundem bonorum Bajtkowo, sibi concedendae.*

*Sigill. Autogr.*

*(Annexa: duae petitiones in negotio piscationis in lacu Bajtkoviensi et exonerationis a laboribus coactis, Scharwarkdienst, in arce Johannisburgensi).*

*H B A, B 2, K.396.*

N. 1951.

Glinki, 18.II.1565.

*Anna de Niszczyce, vidua Alexandri Iłowski, palatini Plocensis,*
*Alberto in Prussia duci*
*queritur de capitaneo Olecensi, qui, spretis ducis mandatis, subditos profugos sibi restituere non vult.*

*Sigill.*

*H B A, B 2, K.396.*

N. 1952.

Petricoviae, 19.II.1565.

*Petrus Myszkowski, R.P. vicecancellarius,*
*Alberto in Prussia duci*
*de Comitiis Regni incoeptis et de oratoribus ducis ad ea mittendis; de litteris ducis ad Christophorum ducem Megapolensem a se transmittendis; de periculis Livoniae imminentibus.*

*Sigill.*

*H B A, B 2, K.396.*

Illustrissime Princeps *etc.*

Quod Comitia Regni attinet, ea hic iam non ita pridem sunt incoepta. Quam diu vero sint duratura, incertum est. Vix tamen futurum arbitror, ut in longum tempus nimis extrahantur. Oratores Illustrissimae Celsitudinis Vestrae quando huc sint mittendi, in arbitrio Illustrissimae Celsitudinis Vestrae situm est. Ego sane existimo quovis tempore rectius eos Illustrissimae Celsitudinis Vestrae negocia posse conficere, quam in simili Conventu Regni, quod multis gravissimisque Reipublicae negociis Maiestas eius tunc praecipue distrahatur atque plane occupetur.

Caeterum literas Illustrissimae Celsitudinis Vestrae ad Illustrem Ducem Christoferum Megapolensem, consentiente iam Regia Maiestate, propediem missurus sum, ac si quid responderit, Illustrissimae Celsitudini Vestrae remittere non negligam.

Quod autem de imminentibus Livoniae periculis sapientissime nos Illustrissima Celsitudo Vestra admonere dignatur, facit rem et Principe christiano eoque prudentissimo et fidelissimo Regiae Maiestatis consobrino dignissimam. Equidem et ipse inficias non eo plena mihi periculi istic omnia videri ac iccirco Maiestatem eius, quantum in me est, ad seriam eius provinciae curam frequenter excito. Quod ipsum tanto audatiori hoc nunc studio conatuque sum facturus, quanto magis vera haec esse, quae Illustrissima Celsitudo Vestra nobis ob oculos ponit, perspicio... Datum Petricoviae, die XIX Februarii, MDLXV.

[a] Illustrissimae Celsitudinis Vestrae
addictissimus servitor
Petrus Miskovski [b].

a)-b) *manu propria.*

*N. 1953.*

*Petricoviae, 20.II.1565.*

*Petrus Myszkowski, R.P. vicecancellarius,*
*Alberto in Prussia duci*
*Nicolaum Cos (Kos), praepositum Varmiensem, commendat in negotio liberae piscationis in mari Hab nuncupato.*

*Sigill.*

*H B A, B 2, K.396.*

*N. 1954.*

*Petricoviae, 20.II.1565.*

*Ioannes Dulski, capitaneus Rogosnensis,*
*Alberto in Prussia duci*
*rogat, ut dux fidelia servitia Thomae ab Embden donatione terrae recompenset.*
*(Germanice)*

*Sigill.*

*H B A, B 2, K.396.*

*N. 1955.*

*Petricoviae, 2.III.1565.*

*Stanislaus Barzi, capitaneus Sniatynensis,*
*Alberto in Prussia duci*
*paratum se esse nuntiat testimonium innocentiae cuiusdam subditi ducis praestare, a quodam cive Cracoviensi magnis iniuriis affecti.*

*Sigill.*

*H B A, B 2, K.396.*

Illustrissime Princeps *etc.*

Quum nuper Cracoviae Celsitudinis Tuae familiaris, Hans Sthayfel, culpa cuiusdam civis Cracoviensis, Czeczothka nuncupati, in acerrimum

casum, de quo ipsemet Celsitudinem Tuam certiorem reddere melius poterit, incidisset, ita ut etiam de vita gravissime periclitaretur, egoque a famulo meo, quondam Celsitudinis Tuae alumno, Stanislao Tchorzowski, hac de re certior factus, libenter illum propter nomen Celsitudinis Tuae, quod apud me frater meus germanus, Dominus Petrus Barzy, Leopoliensis Capitaneus, a Celsitudine Tua Megapoli[z] honorificentissime tractatus, cum illic praesentiam Serenissimi Regis nostri in honorem Illustrismae filiae Celsitudinis Tuae repraesentaret, percelebre reddidit, ope, consilio et auxilio meo iuvi, illique non solum evadendi ex hoc tam gravi periculo viam commonstravi, verum etiam et ulciscendae iniuriae et calumniae, sibi a viro scelerato falso impositae, libenter autor et promotor fuissem. Sed cum iure agendum esset, quod, ut plurimum, ubique protrahi solet, malui persuadere homini, ut quam primum Celsitudinem Tuam accederet illique iniuriam suam, quae in personam Celsitudinis Tuae mihi redundare magis videbatur, exponeret, illicque salubri accepto consilio, contra hunc sceleratum civem, qui homini innocuo manus imponere ausus est, et ad Maiestatem Regiam, hac de re quoque literis Celsitudinis Tuae acceptis, huc ad nos rediret ac demum causam suam sic instauraret, consului.

Ego autem, quod in me erit, postquam etiam Celsitudini Tuae hoc gratum esse sensero, tum in gratiam Celsitudinis Tuae, tum propter eius innocentiam, ei libentissime patrocinabor. Quum vero etiam a me postulasset, ut illi per hasce meas literas innocentiae suae apud Celsitudinem Tuam testimonium darem, illud quoque perlubens feci, quemadmodum facio per praesentes hocque affirmo sibi gravissimam atque ignominiosam indignissimamque iniuriam nulla de causa illatam esse... Datum Petricoviae, 2 die Marcii, anno 1565.

[a] Illustrissimae Celsitudinis Tuae
ad omnia paratissimus
Stanislaus Barzi a Blozew et in Visnicze, Sniatinensis
Capitaneus etc., manu sua subscripsit.[b]

a)-b) *manu propria.*
z) *sic in ms.*

*N. 1956.*

*Ragnetae (in ms. Rangned), 5.III.1565.*

*Theodoricus Parkomer*
*commissariis regiis*
*de caupona et de rate in oppido Jurbork.*
*(Germanice)*
*Sigill.*
*H B A, B 2, K.396.*

*N. 1957.*

*s.l. s.d.*

*Thomas Koss*
*Alberto in Prussia duci*
*rogat, ut dux cauponam sibi et ratem in oppido Jurbork, a Georgio Samsnick illegitime possessas, conferat.*
*(Germanice)*
*Sine sigillo.*
*H B A, B 2, K.396.*

N. 1958.

s.l. s.d.

*Thomas Koss*
*Alberto in Prussia duci*
*a vicecancellario Regni [Petro Myszkowski] adiutum, accepisse se a rege Poloniae privilegium, quo cauponam, ratem et agrum in oppido Jurbork tenere possit.*

*(Annexum: exemplum epistolae regis Poloniae, privilegium Thomae Koss concessum continentis, Cfr. El. XXXII, N. 973).*

*(Germanice)*

*H B A, B 2, K.396.*

N. 1959.

s.l. s.d.

*Thomas Koss*
*ducis in Prussia cancellario [Ioanni a Kreitzen]*
*de eadem re.*

*(Germanice)*

*Sigill.*

*(Haec tria scripta Thomae Koss in Archivio in unum collecta habentur)*

*H B A, B 2, K.396.*

N. 1960.

Petricoviae, 21.III.1565.

*Petrus Myszkowski, R.P. vicecancellarius,*
*Alberto in Prussia duci*
*de responso a duce Megapolensi nondum regi dato; de adventu ad regem eiusdem ducis Megapolensis oratorum, in negotio possessionis archiepiscopatus Rigensis missorum; de mercibus duci Moscoviae a mercatoribus superioris Germaniae fraudulenter suppeditandis; de obstructione freti Danici.*

*Sigill.*

*H B A, B 2, K.396.*

Illustrissime Princeps *etc.*

Cum adventus Oratorum Illustrissimae Celsitudinis Vestrae esset iam apud me in expectatione, afferuntur mihi literae Illustrissimae Celsitudinis Vestrae, ex quibus intellexi eam Oratorum suorum ad Maiestatem Regiam missionem Illustrissimam Celsitudinem Vestram tempori accommodare statuisse. Ego tamen (quod semper facere consuevi) eam praestandi Illustrissimae Celsitudini Vestrae offitii occasionem expectabo ac Oratoribus Illustrissimae Celsitudinis Vestrae, si venerint, nihil in me non erit paratum, quod ad testanda mea in Illustrissimam Celsitudinem Vestram paratissima offitia pertinere videbitur.

Responsum Illustrissimi Domini Ducis Megapolensis nullum Maiestati

Regiae adhuc datum est. Oratores tamen Illustrissimae Celsitudinis Suae, ad Maiestatem Regiam missi, huc paucis ante diebus venerunt. Qui quoniam a Maiestate Regia nondum auditi sunt, nihil certi hoc tempore Illustrissimae Celsitudini Vestrae perscribi a me potuit, quo in negotio sint ad Regiam Maiestatem ablegati. Sed tamen existimari facile potest eam legationem in negotio de adipiscenda possessione Archiepiscopatus Rigensis potissimum consistere. Cuius legationis rationem omnem, cum mihi certius constiterit, Illustrissimae Celsitudini Vestrae data occasione perscribere non intermittam.

Fraudem, quam a negotiatoribus superioris Germaniae in suppeditandis Moscoviae quibusdam mercibus Illustrissima Celsitudo Vestra committi scribit, Regiae Maiestati indicavi, utque ei rei tempestive occurratur, Maiestati illius author fui. Ac facile quidem Regia Maiestas in consilio Illustrissimae Celsitudinis Vestrae acquievit, nimirum ut Praefecti Maiestatis Suae in Livonia, in talibus mercibus intercipiendis remissiores, mandatis Maiestatis Suae diligentiae ac fidei debitae serio commonerentur. Futurumque est, ut ea mandata propediem in Livoniam expediantur. Constituit enim hic Regia Maiestas et Moschicam et Suecicam navigationem in universum subditis suis inhibere. Qua de re etiam Maiestas Sua cum Serenissimo Daniae Rege per Internuntios suos hoc tempore agere decrevit.

Caeterum quod freti Danici obstructionem attinet, in eo consilium quidem Illustrissimae Celsitudinis Vestrae non fuit a Maiestate illius improbatum. Intelligit enim Maiestas Sua eam esse intercludendi commeatus in Sueciam longe omnium expeditissimam rationem. Sed cum eiusmodi obseratione non Gedanensium tantum, verum et omnium Regni Ordinum commodis decedere necessum esset, cum eo nomine multa in Senatu verba fierent, magnopere ei rei ab omnibus Regni Ordinibus fuit reclamatum. Quare adduci nequaquam potuit Regia Maiestas, ut petitionem Gedanensium non maxime apud Serenissimum Daniae Regem adiuvandam existimaret, ut iis libera navigandi facultas per ostia Danica, secundum vetera Regum Daniae privilegia civitati Gedanensi tributa, concederetur. Ita tamen, ut omnibus rationibus provideatur, ne quid in posterum fraudis in eo fiat, utque omnes et singuli, qui navigationem in Sueciam instituerint, non prius per eas freti angustias transmittantur, quam Praefectis Maiestatis Suae ius iurandum et cautionem fideiussoriam de non suspectis mercibus praestiterint... Datum Petricoviae, die XXI mensis Martii, anno Domini MDLXV.

Illustrissimae Celsitudinis Vestrae
[a)] obsequentissimus servitor
Petrus Miskovski.[b)]

a)-b) *manu propria.*

*N. 1961.*

*Petricoviae, 31.III.1565.*

*Petrus Myszkowski, R.P. vicecancellarius,*
*Alberto in Prussia duci*
*pro vino Rhenensi sibi dono misso gratias agit.*

*Sigill.*

*H B A, B 2, K.396.*

*N. 1962.*

*Petricoviae, 23.IV.1565.*

*Petrus Myszkowski, R.P. vicecancellarius,*
*Alberto in Prussia duci*
*de adventu ad regem et sororem eius marchionis et marchionissae Badensium; de negotio Ioannis Alberti ducis Megapolensis.*

*Sigill.*

*(2 annexa: exempla litterarum marchionis et marchionissae Badensium ad Sigismundum Augustum, utrumque de die 1.IV.1565)*

*H B A, B 2, K.396.*

Illustrissime Princeps *etc.*

Quod scribit ad me Illustrissima Celsitudo Vestra Illustrem Principem Dominum Marchionem Badensem fide Sacrae Regiae Maiestatis per ditiones ipsius transivisse, id ita factum esse scio. Etenim Maiestas Regia, pro sua perpetua in universos Germaniae Principes benevolentia, et ad postulata quoque Illustris ipsius Marchionis Badensis et coniugis Illustritatis Suae, faciendum sibi esse existimavit, ut Illustritatibus eorum liberum per ditiones suas transitum concederet. Caeterum de adventu Illustritatum Suarum ad Maiestatem eius Regiam tantum habeo dicere, quantum ex literis Illustritatum Suarum intellexi, quarum exemplum ad ipsam quoque ad[z] Illustrissimam Celsitudinem Vestram mitto. Ex quo cognoscet Illustrissima Celsitudo Vestra, ab ipso Illustri Domino Marchione et coniuge Illustritatis ipsius propositum fuisse Maiestati Regiae, an se et Serenissimam sororem suam ab Illustritatibus eorum adiri de rebusque nonnullis referri ad se patiatur. Cuius rei ipsa praesertim coniunx Illustritatis Suae ostendit se esse percupidam. Quod quidem Maiestas illius Regia ita ab Illustritatibus eorum accipere est visa, ut ostenderet se, si quid haberent, quod ad Maiestatem eius, aut ad Serenissimam sororem Maiestatis eius referre vellent, Illustritatibus eorum sui sororisque suae Serenissimae adeundae potestatem non denegare. In quo ipso nunc etiam perstare Maiestatem eius Regiam intelligo.

Praeterea de hoc Illustritatum Suarum adventu cognitum nihil habeo, nec Regia Maiestas quicquam se amplius de eo scire profitetur.

Quod scribit Illustrissima Celsitudo Vestra de Illustrissimo Domino Ioanne Alberto Duce Megapolensi et de adeunda possessione Archidioecesis Rigensis, sunt de eadem re hic Nuncii Illustritatis ipsius ad Regiam Maiestatem. Qui etsi nondum a Maiestate eius audiri potuerint, prae occupationibus Maiestatis Suae, tamen non dubito, quin primo quoque tempore audiantur et negocium id ex animi sui sententia conficiant. Cui quidem negocio promovendo studium et diligentiam meam non patiar deesse, pro mea in Illustrissimas Celsitudines Vestras utrasque observantia. Quod autem hactenus feci, ut alienationes novas bonorum Archidioecesis illius diligenter, quantum in me esset, prohiberem, hoc deinceps etiam eodem studio ac diligentia faciam. Sed tanta illorum est copia, qui eas petant, ut interdum Maiestas Regia difficile eorum petitiones sustinere posse videatur... Datum Petricoviae, die XXIII mensis Aprilis, anno Domini MDLXV.

[a] Illustrissimae Celsitudinis Vestrae
addictissimus servitor
Petrus Miskovski.[b]

a)-b) *manu propria.*
z) *sic in ms.*

*Annexum I: Christophorus marchio Badensis Sigismundo Augusto regi Poloniae, 1.IV.1565.*

Serenissime ac Potentissime Rex *etc.*

Magnam sane, Serenissime Rex, consolationem ac delectationem accepimus ex literis Maiestatis Vestrae, nihil aliud quam summam humanitatem magni ac potentissimi Regis abunde perspexi. Ac quemadmodum scripta Maiestatis Vestrae ab Illustri Duce Curlandiae [1] integre et libenter accepimus, ita et secundum desyderium Vestrae Maiestatis ad ea, quae Sua Illustritas per Consiliarios a nobis nomine Maiestatis Vestrae postulavit, grate annuere non gravati sumus. Nihil aliud exoptamus, quam occasione minima vel maxima oblata gratitudinem nostram, ut requiritur a christiano et vero Principe, possimus obsequiis, imo addictissimis officiis atque servitiis cum amantissima coniuge nostra exhibere et declarare.

Constitueram omnino, si supernis sic visum fuisset, Maiestatem Vestram in Vilna Lituaniae invisere et ibi praesens servitia mea non solum offerre, sed et animum integrum in rebus convenientibus Maiestati Vestrae significare. Quia vero sic stantibus rebus Maiestatem Vestram longius abesse intellexi, et hic insuper quoque (proch dolor) amantissimae coniugis nostrae adversa valetudine de die in diem crescente, hanc occasionem ad Maiestatem Vestram veniendi penitus mihi ereptam esse doleo. Adeo etenim morbo conflictatur, ut non liceat mihi unam horam abesse et eam ex loco tuto movere, donec Deus in melius opitulaverit, quamvis fateor cum maximo dispendio atque incommodo in tam longo itinere hoc mihi evenire. Nec sane huic malo alia ratione subvenire possum, nisi ut adhibitis convenientibus ac salutaribus remediis morbo, Deo adiuvante, aliquomodo lenito per aquam ex urbe Maiestatis Vestrae Cauna recta in Regium Montem ac sic Gedanum transire queam, ubi per commoditatem navigii multas molestias longi itineris, etiam graviores sumptus, me evitaturum confido.

Itaque, Serenissime Rex, si quippiam est, quod Maiestas Vestra vel per litteras vel per fidelem ac syncerum Maiestatis Vestrae internuntium mihi significare constituit, praecipue in rebus, quae spectant ad recuperandam libertatem charissimi affinis mei, Illustrissimi Ducis Finlandiae,[2] cum amantissima coniuge sua, sorore Maiestatis Vestrae [3] (quanto cum desyderio haec translata esse cupiam una cum dulcissima coniuge nostra, in ea propinquitate ac affinitate existens, facile Maiestas Vestra diiudicare et colligere potest), praenominatis in locis Maiestas Vestra me et coniugem meam interea temporis intelliget et de his rebus certiorem reddere dignabitur. Ego certe, quod ad componendum negocium vel salutari consilio vel commodis ac debitis rationibus, in ea parte, nec sumptibus nec laboribus parcam.

Traduxit nos a finibus Livoniae nomine Maiestatis Vestrae per ditiones ac Regnum Maiestatis Vestrae Nobilis ac Generosus Dominus Ioannes Gradowski, qui certe loco magni solatii nobis fuit et omni diligentia ac opera servitia gratissima in toto itinere nobis praestitit. Summas inde Maiestati Vestrae agimus gratias et, quoad vixero, cum omnibus meis nobis exhibitam et humanitatem et gratiam veris officiis ac servitiis Maiestati Vestrae vicissim demereri studebo. Cuius Maiestati me multum ac dedite commendo. Datae Caunae, 1 Aprilis, anno Domini 1565.

Eiusdem Serenissimae Maiestatis Vestrae faventissimus affinis et amicus deditissimus, Christopherus Marchio Badensis, Dominus Rodemnachensis etc.
Christoff etc. subscripsit.

Cedula

Serenissime ac Potentissime Rex.

Cum iam literae essent obsignatae, Magnificus Dominus Capitaneus Samogitiae,[4] qui tum Caunae praesens erat, misso ad me internuntio significari iussit, ut me recta ad Maiestatem Vestram Petricoviam conferrem, omisso itinere in Prussiam. Quia vero Maiestati Vestrae causas exposui in hisce literis, cur id facere non liceat, oro, ut Maiestas Vestra, ea de re quid mihi faciendum sit, quam primum certiorem reddere dignetur. Nolim enim apud Sacram Regiam Maiestatem in aliquam suspitionem devenire, cum paratus sum nihil detrectari, quod a Sacra Regia Maiestate Vestra iniunctum fuerit.

1) *Gottardus Kettler.*
2) *Ioannes.*
3) *Catharina.*
4) *Ioannes Chodkiewicz.*

*Annexum II: Caecilia marchionissa Badensis Sigismundo Augusto regi Poloniae, 1.IV.1565.*

Serenissime Rex *etc.*

Literas Maiestatis Vestrae, plenas humanitatis ac insuper mirabile desiderium et intimum cordis affectum erga nos prae se ferentes, accepimus. Ac dum omnino persuasum nobis haberemus Serenissimam Maiestatem Vestram Vilnae invisere, in ipsis finibus ad nos relatum fuit Maiestatem Vestram ibidem non esse. Et alioquin praeter expectationem propositum nostrum immutavit morbum, nimirum repentina quottidiana acerrimaque febris, antea nobis incognita. Eo tamen morbo vel prorsus sublato vel remissiore facto, constitui salvo ac clementi Maiestatis Vestrae conductu cum amantissimo coniuge et Principe meo ob valetudinis commoditatem navigio in Regium Montem et sic denique Gedanum transire. Itaque si commoditas et benigna voluntas Maiestatis Vestrae ferre possit, cuperem declinata regia seu recta via alicubi cum fideli aliquo Maiestatis Vestrae nuntio convenire in finibus Prussiae, in loco videlicet a Maiestate Vestra assignato.

Ac sane, ut verum fatear, optarim potius mihi occasionem offerri conveniendi ac conferendi cum amantissima sorore Maiestatis Vestrae, Illustrissima Principe ac Infante Regni Poloniae Anna, affine nostra mellitissima. Hac enim ratione nihil iucundius mihi accidere posset, quam ibi quaedam referre et proponere, quae ad liberandum Illustrissimum Ducem Finlandiae, fratrem meum charissimum, summopere spectant. Ea vero sunt talia, quae neque calamo, neque alteri cuipiam concredere ausim, nisi vel fidelissimo internuntio Maiestatis Vestrae vel, quod maxime desiderem, sorori Maiestatis Vestrae, affini nostrae dulcissimae. Quos omnes honestos conatus, consilia et vota in hac re non solum propter charissimum fratrem meum, Illustrissimum Ducem Finlandiae, sed etiam propter affinitatem nostram, quae divino quodam ac peculiari modo intercessit, oro, ut Maiestas Vestra benigno animo suscipere ac interpretari dignetur. Quicquid etiam commodi in Regno Maiestatis Vestrae in tota itineratione hac nobis accidit, perpetuo ac debito amore et summa observantia Sacrae Maiestati Vestrae demereri studebo. Cui Maiestati Vestrae summopere me commendo. Datae Caunae, 1 die Aprilis, anno Domini 1565.

Eiusdem Regiae Maiestatis Vestrae addictissima
Cecilia Infans Sueciae Gothiaeque etc.,
Marchionissa Badensis et Domina Rodamnachensis.
Cecilia subscripsit.

## N. 1963.

*Petricoviae, 14.V.1565.*

*Petrus Myszkowski, R.P. vicecancellarius,*
*Alberto in Prussia duci*
*famulum ducis cum responso regis remittit daturumque se operam nuntiat, ut et internuntii ducis quam primum remittantur; de matrimonio duarum sororum imperatoris, Barbarae (in ms. Bombacae) et Ioannae, cum principibus Ferrariae et Florentiae.*

*Sigill.*

*H B A, B 2, K.396.*

Illustrissime Princeps *etc.*

Remitto hunc famulum Illustrissimae Celsitudinis Vestrae cum responso Sacrae Regiae Maiestatis. Nolim autem, ut Illustrissima Celsitudo Vestra, quod et is famulus et Internuncii ipsius serius a nobis dimittantur, negligentia mea potius factum esse existimet, quam maximis Regiae ipsius Maiestatis occupationibus, de quibus vel hic famulus Illustrissimae Celsitudinis Vestrae, qui ad eam redit, locuples testis esse poterit. Equidem sicut dedi operam, ut famulus hic Illustrissimae Dominationis Vestrae, quam primum fieri posset, dimitteretur, ita de Internunciis quoque ipsis perficiam, ut primo quoque tempore possint expediri et cum optato responso ad Illustrissimam Celsitudinem Vestram redire.

Novi nihil habemus, nisi quod scribit Caesarea Maiestas Regiae Maiestati se matrimonium duarum Serenissimarum sororum suarum, Bombacae et Ioannae, cum Illustrissimis Principibus Ferrariae Duce Alphonso et Florenciae Ducis filio primogenito [1] conclusisse. Nos Petricoviae adhuc sumus, nec satis certum habemus, quando hinc simus discessuri... Datum Petricoviae, die XIIII mensis Maii, anno Domini MDLXV.

[a] Illustrissimae Celsitudinis Vestrae
obsequentissimus servitor
Petrus Miskovski.[b]

a)-b) *manu propria.*
1) *Franciscus Mediceus, filius Cosmi I.*

## N. 1964.

*Radomiae, 26.V.1565.*

*Ioannes Sierakowski, castellanus Landensis, Nicolaus Łysakowski, castellanus Lubaczoviensis, Andreas Gniewosz de Sarnowo*
*Alberto in Prussia duci*
*exsecutores testamenti Gabrielis Tarło, castellani Radomiensis, nominati, nuntiant de legato in favorem ducis facto.*
*(Annexum: Ex testamento Gabrielis Tarło - textus legati in favorem ducis facti)*

*3 sigilla.*

*H B A, B 2, K.396.*

Durchleuchtigister *etc.*

Wir konnen E. F. D. nit bergen, das der wolgeborne herr Gabriel Terlle, castellan zu Radom, seliger gedechtnus, E. F. D. in seinem te-

stament und letzten willen den hoff zur Wilde in der Schlossgassen sambt dem guet Gory mit den dorfern darzue gehorig, so er vom herrn woiwoden von Kyoff [1] umb 3000 floren in vorsatzung hat, und zwo guldene ketten, so im E. F. D. bei seinem leben geschenckht und drei guete ross aus seinem gestuete und das vierte ein braun turckhisches ross und vier junge wagenross, inhalt hierin ligendes articls aus dem testament ausgezogen, vorschriben und vormacht hat.

Und nachdem uns gemelter herr castellan von Radom etc., seliger gedechtnus, solhes seines testaments volmechtige executores gemacht, also das wir dem ganzen testament eine entliche volziechung und genuegen thuen sollen, demnach wollen wir die gemelten ross, sobalde sy nuer aus des herren castellans seligen gueteren gebracht werden, sambt den zweien guldenen ketten E. F. D. zuesenden.

Und den hoff zur Wilde sambt dem guet wierdet herr Stanislaus Miloschewskhi, gemeltes herrn castellans seligen alter, getrewer diener und secretari, welhem gedachter herr castellan seliger den hoff sambt dem guet bevolhen, E. F. D. auch sambt der vorschreibung daruber lautent einreumen etc. Daruber konnen wir E. F. D. nit bergen, das uns gedachter herr Stanislaus Miloschewski umb eine vorbitte an E. F. D. angelangt und gebetten hat, wuer E. F. D. nit gelegen were, solhes guet und hoff zur Wilde selbs inne zu haben, E. F. D. wolten im die gnad erzeigen und ime an der bestimbten suma der 3000 floren was nachlassen und den uberrest will er E. F. D. erlegen. Dann dieweil er imerzue zur Wilde in ko. mt. diensten in der munze wonnen muess, were es ime solher hoff und guet gelegen. Dieweil wir dann vornemen, das er in der zeit seines herrn seligen leben E. F. D. und derselbigen statten und gesannten alzeit viel getrewer dienst erzeiget und geleistet, ist demnach unser untertenig und gehorsam bitten, E. F. D. wolten in solher seiner bitte mit allen gnaden erscheinen. Dann wie wir aus der vorschreibung vornemen, so wurde E. F. D. eine kleine bekhwemikheit darinnen haben, dann die vorschreibung laut also, das der herr woiwoda von Kyoff alzeit, wen drei jar uber sein, frei hat, den hoff und guet wider aufzukhaufen, und wen er khehn der Wilde khombt, so hat er alezeit freie wonung im selbigen hoff. So aber E. F. D. solhen hoff und guet desselbigen sones halben, wo er bei ko. mt. hoff sein, wolte behalten und eine merere suma dem herren woiwoden darauf geben wolten, damit E. F. D. erblichen bekhomen mochten, so bitten wir E. F. D. wollen gemelten herrn Stanislaus Miloschewskhi solhen hoff und guet umb einen zimblich bestandt lassen und ime bei zeiger des briefs schreiben lassen, das er solhes dem herrn woiwoden von Kyoff anzeigen moge, das solher hoff und guet durch gedachten herren castellan seligen E. F. D. vorschriben und gegeben ist worden. So wierdet er seinen vleiss vorwenden, damit er solhen hoff und guet auf E. F. D. erblichen zuwegen mochte bringen, wie er dann das zu thuen von seinem herren seligen bevelh hat...

Datum Radom den 26. tag Mai anno 1565.

E. F. D.

untertenige, gehorsame und ganz guetwillige diener
Johan Sirakowski Castellanus Lendensis
haubtman Przedetzkhi etc.
Nicolaus Lyssakowsky castellan zu Lubaczew etc.
Andreas Gniewusch von Sarnowa etc.

1) *Constantinus Basilius Ostrogski.*

*Annexum: textus legati in favorem ducis facti (ex testamento G. Tarło).*

Dem hertzogen aus Preussen, meinem genedigisten herren und patron, vorschreibe ich meinen hoff zur Wilde in der Schlossgassen und das guet Gory sambt den dorfern darzue gehorig. Welhen hoff und guet ich in vorsatzung habe von seiner gnaden, dem fursten Constantin Constantinowitza von Ostrow, woiwoden zu Kyoff, landtsmarschalkh des wolinischen landes, haubtman zu Wlodimierss, in einer suma umb dreitausent gulden polnisch. Welhe suma sambt der vorsatzung und gerechtigkhaiten ich Seiner F. D. schenckhe und Seiner F. D. meine gerechtigkheit ubergebe zu ewigen zeiten. Und das guet soll sein in vorwesung und inhabung oder beschutzung des edlen Stanislaus Miloschewski, meines schreibers, bis zur ler Seiner F. D. Uber das so sollen widergegeben werden Seiner F. D. zwo guldene ketten mit Seiner F. D. angesicht, welhe ich gehabt habe aus gnaden Seiner F. D., eine grosser, die ander kliener. Darzue sollen Seiner F. D. oder Seiner F. D. sonne drei guete ross aus meinem gestuete, das vierte ein braunes turkhisches ross und die fuxeten jungen wagenross, welhe ich Seiner F. D. zuegesagt habe.

*Alia manu verso:*

Articl aus dem testament des wolgebornen herrn Gabriellen Terlen, castellans zu Radom, irer ko. mt. hoffmeisters etc. seliger gedechtnus.

*N. 1965.*

*Petricoviae, 28.V.1565.*

*Stanislaus Miłoszewski*
*Alberto in Prussia duci*
*de morte Gabrielis Tarło et de iis, quae duci et ducis filio testamento legaverat, cuius testamenti exsecutorem se ipsum a rege nominatum esse nuntiat.*

*Sigill.*

*H B A, B 2, K.396.*

Illustrissime Princeps *etc.*

Quatenus Magnificus Dominus Gabriel Tharlo de Sczekarzevicze, Castellanus Radomiensis ac Serenissimae Reginalis Maiestatis Curiae Magister, etc., morbo pristino invalescente, die tandem quarta mensis praesentis pie sancteque in fata concesserit ac debitum naturae reddiderit, non dubito, quin ad Illustrissimam Celsitudinem Vestram antea quoque perlatum sit non obscure. Enimvero quam acerbus modisque omnibus deplorandus is obitus cum multis aliis, tum in primis mihi fuerit, quantumque maeroris conciliaverit, nec litteris nec sermone satis exprimere ac ne quidem cogitatione assequi possum. Adeo, ut me infoelicem plane iudicem, quem fata adversa tanto Domino, patrono ac vere parente, hoc tam alienissimo tempore orbatum voluerunt.

Verum cum vicissim anteactam illius vitam, virtutibus omnibus excultam atque ornatam, tum ultimam quoque fidei suae confessionem piam, homineque christiano dignissimam, quam unicam suae salutis spem atque fiduciam in Redemptorem Salvatoremque illum totius generis humani Ihesum Christum, Aeterni Dei Patris Filium, indubitanter collocavit, considero, non possum non animum recipere meque ipsum consolari, utpote qui non dubitem eum ex hac mortali et aerumnosa vita, tanquam ex carcere quodam ereptum, in caelestem illam domum, bonis ac gaudiis omnibus circumfluentem, delatum atque receptum esse ac nunc contemplatione Summi Dei conversationeque piorum omnium gaudere ac perfrui.

Porro quam benignus, liberalis et munificus, partim in promeritos, partim quoque egenos ac pauperes, Magnificus Dominus Tharlo sanctissimae memoriae ab ineunte aetate fuerit, norunt ii, qui vel familiariter illo usi sunt, vel in servitiis quondam eius constituti fuerunt, tum ultima quoque eius elogia ac testamento testantur non obscure. In quibus fere neminem, quod sciam, silencio praeterierit, cui vel minimam offitii partem se debere existimarit, factum est, ut Illustrissimam quoque Celsitudinem Vestram, pro sua pristina in eam fide, amore et observantia, facultatum suarum participem reddere non dubitarit, eam nimirum benevolentiam declarare existimans, quam non meritorum aut mutua offitiorum ratio postulabat, sed pristini duntaxat animi ac propensionis suae significatio requirere videbatur. Solenni enim confecto testamento, Illustrissimae Celsitudini Vestrae legavit domum quandam Vilnae, in Platea Arcis, necnon curiam prope eandem civitatem sitam, sibi pro summa trium millium florenorum Polonicalium ab Illustri Constantino [1] quondam obligatam ac hypothecatam.

Cui quidem legato duas catenas aureas adiectas voluit. Denique ut sui quoque memoriam Illustrissimo Principi Domino Alberto Friderico, Illustrissimae Celsitudinis Vestrae filio dulcissimo, aliqua ratione commendaret, equos octo Celsitudini eius post mortem suam dari testamento cavit.

Cum autem legata illa omnia sint in mea partim custodia, partim etiam administratione, necnon executio quoque illorum mihi per Sacram Regiam Maiestatem commissa sit, non potui haec Illustrissimam Celsitudinem Vestram, pro mea quoque in eam fide, studio et singulari observantia, caelare, etiam atque etiam orans, velit Illustrissima Celsitudo Vestra mihi clementer significare, quid de aedibus illis ac curia legatis constituere, et an eadem bona iure hypothecae porro detinere, an vero accepta summa super iisdem bonis debita ius suum hypothecarium cedere et in alium transferre velit.

Equos praefatos paucis post diebus ad Illustrissimum Principem Dominum Albertum Iuniorem per servitorem meum transmittam. Quicquid autem in aliis confectum Illustrissima Celsitudo Vestra clementer voluerit, id mihi committere et demandare non dedignetur. Dabo sedulo operam, ut omnia summa cum fide, diligentia atque ex sententia Illustrissimae Celsitudinis Vestrae conficiantur. Minime dubitans, quin Illustrissima Celsitudo Vestra mihi quoque, qui haud levis horum legatorum author vel saltem promotor extiti, id, quicquid est, clementer sit relatura ac

munificentia quoque sua qualicunque dignum me iudicatura... Datum Petricoviae, die XXVIII Maii, anno Domini MDLXV.

Illustrissimae Celsitudinis Vestrae
deditissimus servitor
Stanislaus Miloschewski.

z) *sic in ms.*
1) *Ostrogski.*

*N. 1966.*

*Petricoviae, 31.V.1565.*

*Petrus Myszkowski, R.P. vicecancellarius,*
*Alberto in Prussia duci*
*de nuntiis ducis dimissis; de difficultatibus in annuo stipendio duci persolvendo.*

*Sigill.*

*H B A, B 2, K.396.*

Illustrissime Princeps *etc.*

Pro mea perpetua erga Illustrissimam Celsitudinem Vestram observantia, dedi operam quantam maximam potui, ut Nuncii Illustrissimae Celsitudinis Vestrae primo quoque tempore, confectis ex animi sententia negociis, dimitterentur. Cuius quidem rei ipsi illi optimi testes esse possunt. Verum tot erant ac tantae occupationes Regiae Maiestatis, primum quidem in moderandis ipsis Regni Comitiis, deinde etiam in hoc apparatu ad bellum, cui Maiestas eius Regia interesse ipsa constituit, ut ante id tempus dimitti nequaquam potuerint. Quae res ut cum gratia Illustrissimae Celsitudinis Vestrae a me accipiatur, etiam atque etiam peto et quaeso.

De pecunia difficilis est hoc tempore apud Maiestatem Regiam ratio. Tantum enim abest, ut mutuum vetus dissolvi nunc possit, ut etiam recens undecunque omni studio conquiratur. De annuo stipendio puto meminisse Illustrissimam Celsitudinem Vestram, data fuisse non semel mandata ad Dominum Prussiae Thesaurarium,[1] manu Regiae Maiestatis ipsius subscripta, ut Illustrissimae Celsitudini Vestrae numeraretur. Sed facile intelligit Illustrissima Celsitudo Vestra, in quos sumptus hoc tempore omnis terrarum Prussiae reditus abeant, cum omnia armis ac milite perstrepere videantur. Quae ipsa etiam causa est, ut eorum, quos per id tempus Illustrissima Celsitudo Vestra Maiestati ipsius Regiae commendavit, ratio haberi non posset digna commendatione Illustrissimae Celsitudinis Vestrae. Non praetermittet tamen Regia illius Maiestas, quin suo tempore fidem erga se et studium hominum, pro meritis singulorum, remunerasse videatur... Datum Petricoviae, die ultima mensis Maii, anno Domini MDLXV.

[a] Illustrissimae Celsitudinis Vestrae
obsequentissimus servitor
Petrus Miskovski.[b]

a)-b) *manu propria.*
1) *Ioannes Kostka.*

## N. 1967.

*Petricoviae, 8.VI.1565.*

*Sebastianus Ciechański*
*Alberto in Prussia duci*
*de morte palatini Vilnensis [Nicolai Radziwiłł] et alia nova breviter refert.*

*(Schedula adiuncta:* Regium iter versus Grodnam ex Petricovia)
*Sigill. Autogr.*

*H B A, B 2, K.396.*

Illustrissime Princeps *etc.*

Quam primum, Illustrissime Princeps et Domine mihi Clementissime, ad manus meas recepi has litteras, ea etiam et hora hunc veredarium ad [a] Illustrissimam Celsitudinem Vestram una cum eis ablegavi. Ex Lituanica Cancellaria tam cito non possum de vectigalibus his ac literis adipisci, praesertim cum nunc sunt Lituani summo merore affecti morte Domini Palatini Vilnensis, qui est mortuus 28 Maii. Sed quam primum confitientur et Sacrae Regiae Maiestatis manu subscribentur, Illustrissimae Celsitudini Vestrae per Dominum Wenceslaum Schak mittam.

Is Dominus Palatinus Vilnensis in testamento suo elegit executores, primum Dominum Palatinum Trocensem,[1] cui filium suum natu maiorem [2] in tutellam dedit, 2. Ostaphieium Wolowicz, cui etiam alterum filium commisit, tertium vero Dominum Woiniciensem, Comitem a Tharnow,[3] cui etiam filias suas in tutellam et protectionem dedit. Et petiit magnopere supranominatos executores, ut Regiam Maiestatem admonerent, ne filios suos a statu dignitarii abalienaret etc. Tota Polonia, Illustrissime Princeps, est nimis contenta de morte ipsius.

Dominus Lucas a Gorka palatinatum Posnaniensem ex gratia regia iam occupat. Id etiam et Dominus Spithek Jordan castellaneatum Cracoviensem, quia Tharnowski, Palatinus Sandomiriensis,[4] noluit locum recipere. Scire non possum, qua de caussa Palatinus Cracoviensis.[z] Archiepiscopus Leopoliensis est nomine Szlomowski,[5] Canonicus Cracoviensis.

Illustrissimi Domini Ducis Megapolensis [6] Nuntii ex Petricovia 6 Iunii discesserunt. Domini Legati Sacri Romani Imperatoris [7] expeditionem suam 7 huius mensis etiam receperunt. Legatus [8] etiam Papae [9] suam quoque accepit. Mitto etiam Illustrissimae Celsitudini Vestrae iter regium. Plura non sunt... Petricoviae, 8 Iunii, anno 65.

Illustrissimae Celsitudinis Vestrae
servitor
Sebastianus Cziechaniski manu propria.

a) *pro expuncto* suum *suprascriptum.*
z) *sic in ms.*
1) *Nicolaus Radziwiłł « Rufus ».*
2) *Nicolaus Christophorus.*
3) *Ioannes Christophorus.*
4) *Ioannes Spytek Tarnowski.*
5) *Stanislaus Słomowski.*
6) *Ioannes Albertus.*
7) *Maximilianus II.*
8) *Ioannes Franciscus Commendone.*
9) *Pius IV.*

*Schedula adiuncta:* Regium iter versus Grodnam ex Petricovia.

12 Rawe
13 Boliemow
14 Blonye
15 Warssoviae
16 Warszoviae
17 Warszoviae
18 Warszoviae
19 Warszoviae
20 w Pradze
21 Radzimin
22 Kamieniecz
23 Ostrovia
24 Zembroviae
25 Mezenin
26 Thikoczin
27 Kniszini
28 Kniszini
29 Kniszini
30 Kniszini

Iulius

1 Kniszini
2 Kniszini
3 Kniszini
4 Czarna } in sylva
5 Sthraza }
6 Kuznicza
7 Grodno
8 Grodno

*N. 1968.*

*Cracoviae, 6.VII.1565.*

*Ioannes Tarło, castellanus Radomiensis, et Nicolaus Tarło, vexillifer Sandomiriensis,*
*Alberto in Prussia duci*
*obitum patruelis eorum, Gabrielis, nuntiantes et de legato testamentario in favorem ducis facto significantes, petunt, ut eis dux bona Góry et villam Vilnae sitam, a patruele duci legata, cedere velit.*

*2 sigilla*

*H B A, B 2, K.396.*

Durchleuchtigister *etc.*

Wir können nit umbgehn, E.F.D., unserm genedigisten herren, unsern trawrigen schmertzen und grosses grosses laidt zu erinnern, das uns unser lieber herr und vetter, herr Gabriel Tarllo seliger gedechtnus, E.F.D. gar getrewer diener mit todt in Gott vorschiden. Des selen Gott der Almechtig genedig und barmhertzig sein wolle.

Und nachdem obbestimbter unser herr vetter seliger gedechtnus E.F.D. zwo guldene ketten, so im E.F.D. in seinem leben geschenckht gehabt und darneben vier wagenross, drey reitross und das vierte ein turkhischen rappen, auch das guet Gury genant, nahet bei der Wilde sambt dem hoff in der statt Wilde in der Schlossgassen kegen sandt Johans kirchen ubergelegen, vorschriben hat, demnach so schigken wir E.F.D. die gemelte ketten und ross durch zeiger des briefs, unsers herrn vetter seliger gedechtnus diener zue. Und nachdem unser herr vetter seliger der ko. mt. auch E. F. D. und andern mer schier alles vorgeben und vorschriben und uns gar wenig gelassen, ist demnach an E. F. D. unser hochvleissig und gehorsam bitten, die wolten uns das gemelte guet Gury sambt dem hoff in der statt Wilde gelegen, aus genaden schencken,

dann solch guet und hoff ist E. F. D. ein gar gering dingkh, aber uns, dieweil wir in kriegesgescheften und in ander wege in der ko. mt. diensten alda viel zu thuen haben, were es sehr gelegen. Dieweil wir dann wissen, das vielgemelter unser herr vetter seliger E. F. D. gar gern und alles vleiss getreulichen bis in seinen todt gedienet, in des fuesstapfen wir auch tretten und E. F. D. gleichfals ungespart leibs, bluets und guets gern und alles vleiss getreulich dienen wollen, E. F. D. werden uns solcher seiner getrewen dienste genedigist geniessen lassen und uns derselbigen gehorsame und getrewen diener eben in solcher genediger gewogenheit als unsern vetter seligen erhalten. Gewarten hierauf genedigister antwort... Datum Krakaw[a] den 6 tag Iulii anno etc. 1565.
E. F. D.

untertenige, gehorsame und getrewe diener
Johan Tarllo von Schtzekharzewitz, castellan zu Radom,
Haubtman auf Pilsnen etc. [b]manu propria subscripsit.[c]
Nicolay Tarllo von Schtzekharzowitz, landtsbannerherr
zu Sendomiers etc.
[b]mit eigner handt.[c]

a) *supra pro expuncto*: Radom
b)-c) *manu propria.*

*N. 1969.*

*Cracoviae, 6.VII.1565.*

*Ioannes Sierakowski, castellanus Landensis, Nicolaus Łysakowski, castellanus Lubaczoviensis, Andreas Gniewosz, tenutarius in Warki et Grodziec, et Stanislaus Miłoszewski, aulicus regius,*
*Alberto in Prussia duci*
*ad normam testamenti Gabrielis Tarło, in favorem ducis facti, duas aureas catenas, octo equos et alia mittunt et de bonis Góry ac villa Vilnae sita, etiam duci legatis, nuntiant.*
*(Germanice)*
*4 sigilla.*
*H B A, B 2, K.396.*

*N. 1970.*

*Cracoviae, 7.VII.1565.*

*Nicolaus Łysakowski, castellanus Lubaczoviensis,*
*Alberto in Prussia duci*
*de bonis Góry et villa Vilnae sita, a defuncto Gabriele Tarło in testamento duci legatis, qua in re Stanislaus Miłoszewski brevi in Lithuaniam profecturus est.*
*Germanice.*
*Sigill.*
*H B A, B 2, K.396.*

N. 1971.

*Cnissini, 20.VII.1565.*

*Andreas Jarosławski Kurbski*
*Alberto in Prussia duci*
*notitiam cum duce contrahere cupit.*

*Sigill.*

*H B A, B 2, K.396.*

Iasnie Oswiecone Wielmozne a Miłosciwe Xiąze *etc.*

K temu, Wielmozne a Milosciwe Xiąze, ia, namnieyssy sługa Wassey Xiązęciey Mlsci, gdym był ieszcze u nieprzyiaciela Iego Kro. Msci, u Kniazia Wielkiego Moskiewskiego,[1] słyszałem wielką sławe o Waszey Xiązęciey Mlsci od oyca swego, tak urodzonego z zacnego domu, tak tess na wszytkiem byc mądrego, sprawnego a rostropnego pana, a gdyzem stamtey ziemie nieprzyiacielskiey przyachał na sławne ymie Iego Kro. Msci, nic inego pragne yządam od Boga Wssechmocnego, iedno abych uyzrawssy osobe Wassey Xiązęciey Msci, chcialbych miec poznanie w łasce Xiązęciey Wassey Msci, a wząwssy znaiomosc z Wassą Xiązięcią Mscią, sługą namnieyssym W. M. y wszytkiemu domu W. M. panskiemu pozostac chce w tey mierze y powolnym Wassey Xiązięcey Msci byc we wssytkiem... Datum ex Knissyn, XX mensis Iulii, anno 1565.

Waszey Xią. Mlsci
namnieyssy sługa
Andrey Iarosławski Kurpski.

1) *Ioannes IV Basilides.*

N. 1972.

*Radomiae, 21.VII.1565.*

*Stanislaus Miłoszewski*
*Alberto in Prussia duci*
*exemplar legati testamentarii Gabrielis Tarło, quo bona Góry et villam Vilnae positam duci inscripserat, se Erhardo a Kunheim tradidisse nuntiat.*

*(Germanice)*

*Sigill.*

*H B A, B 2, K.396.*

N. 1973.

*Radomiae, 21.VII.1565.*

*Ioannes Sierakowski, Nicolaus Łysakowski, Andreas Gniewosz, Stanislaus Miłoszewski,*
*Alberto in Prussia duci*
*per Gasparum Brzozowski, defuncti Gabrielis Tarło servitorem, mittunt equos et aureas catenas, duci a defuncto in testamento legatas, simulque Lucam Brzozowski, scribam olim Gabrielis Tarło, commendant, ut eum dux inter servitores suos numerare velit.*

*(Germanice)*

*4 sigilla.*

*H B A, B 2, K.396.*

*N. 1974.*

*Poniemoń, s.d. 1565.*

*Nicolaus Bielewicz, tiwo Ejragolensis,*
*Alberto in Prussia duci*
*equum sibi mitti petit, quo in bellum una cum rege proficisci possit.*

*Vest. sigilli.*
*(Adest versio germanica)*
*H B A, B 2, K.396.*

Nayassnieyssy Miloscziwy Ksyąze, Panie Panie moy Milosczíwy.

Gdysz tho wiem, yz Ksyązenczia Miloscz, moy milosczíwy Pan, wssem potrzebuyąnczym milosczíwę laskę pokazywać raczisz, a yzem bęndąncz na dworze Waszey Ksyązencziey Milosczi przipatrylem sie wielkiey a szczodrey lasky naprzeczíwku kazdemu, yakozem y ia wielkę laskę od Waszey Ksyązencziey Milosczi uznawalem, yakoz my tesz Wassa Ksyązenczia Milość raczil roskazacz, abych wsselakich czasow ku Wassey Ksyązencziey Milosczi w potrzebach swych ucieczkę mial, a yz na then czas wiedząćz o tym, ze Iego Kroliewska Miloscz, nasz milosczíwy Pan, ssczęsliwie a fortunnie chcze, Pana Boga na pomocz wziąwssy y niewynnosć swą pokazawssy, naprzecziwku nieprzyacziela wycziąnguvacz[a] raczy, y nam wssem, wiernym slugam y poddanym, przi sobie roskazać raczi. A yzem po wssitkie the czasy niewstydliwiem naprzecziwku nieprziyaciela wyezdczalem, nizli po thym czasem Pan Bog Wssechmogąnczy na konyach mych pokaracz raczil, a tak ia ni do kogo ynnego ucieczki nie mam, yedno wprod ku Panu Bogu y ku Wassei Ksyązencziey Milosczi, mego milosczíwego Pana, pokornie z unizeniem prosząncz Wassey Ksyązencziey Milosczi, mego milosczíwego Pana, o koń iaky dobry, na ktorym by czasu potrzeby naprecywku nieprziyacziela za pomocą Pana Boga Wssechmogoncego czinicz mog y przed Iego Kroliewską Milosczią powinnoscz chucy swey, na nim sie pokazacz mog.

A ya za wsseliakę swientobliwei lasky Wassey Ksyązencziey Milosczi wprzod wynien iestęm Pana Boga prosicz, aby Iego Swientha Miloscz Waszą Ksyązenczą Miloscz dobrym a dlugim zdrowiu chować y pomnazacz raczil, wespolek z Yeye Milosczią Księzną y swienthobliwyn potomstwem Waszey Ksyązencziey Milosczi, mego milosczíwego Pana. Aby wssistko mayącz po mysli swey ksyązencziey ssczęsliwe opanowacz raczili. A ya thez, yle się bęndę mogl do czego przigodzicz sluzbami swymi Waszey Ksyązencziey Milosczi y potomstwu Wassey Ksyązencziey Milosczi, ochotnego y niemiesskanego, da Pan Bog, nawssem chutliwego doznacz Wassa Ksyązenczia Miloscz bęndzie raczili, y przossę, abys Wassa Ksyązenczia Miloscz mnye na wssem yako namnyeissemu y dawnemu sludzę swemu w sluzbach swych sluzicz Wassa Ksyązenczia Miloscz roskazowacz raczil. S thym sam siebie y namnieisse sluzby swe w milosczíwę laskę podayę, ocz z unizeniem przossę, abych z milosczíwey a swienthobliwey laski nie byl opusczon. Dan s Poniemunya, liata Panskiego 1565, miesiąncza.

Nawssem namnieyssi sluga
Wassey Ksyązencziey Milosczi, mego milosczíwego Pana,
Mikolay Bieliewycz, Cziwun Iego Krolewskiey Milosczi
Eyragolski. N. C. D.

a) *lectio incerta.*

## *N. 1975.*

*Heilbergae, 16.VIII.1565.*

*Petrus Barzi, castellanus Premisliensis,*
*Alberto in Prussia duci*
*per [Stiborium] Krzykowski, cardinalis Varmiensis [Stanislai Hosii] familiarem, servitia defert, ipse Grodnam a rege vocatus.*

*Vest. sigilli.*

*H B A, B 2, K.396.*

Illustrissime et Eccellentissime[z] Princeps *etc.*

Postquam Heilspergam veni, ut ambos Illustrissimos Dominos Cardinales[1] inviserem, nihil habui antiquius, quam ut ad Illustrissimam Dominationem Vestram ipse excurrerem ac illi presens officia servitiaque mea deferrem. Sed quoniam aliter non ferunt rationes meae, per nobilem hunc Illustrissimi Domini Cardinalis Varmiensis familiarem, Dominum Krikowsky, facere fuit consilium, cui ut Illustrissima Celsitudo Vestra fidem adhibeat et gratam audientiam det, ab illa reverenter etiam atque etiam peto. Excurrendum enim est mihi nunc Grodnam ad aulam Serenissimi Regis, qui meis servitiis in Hispaniis uti deliberatum habet, quemadmodum copiosissime ex eodem nobili cognoscet.

Illud interea ab Illustrissima Celsitudine Vestra peto, ut in meliorem partem interpretari velit hanc excusationem meam eaque omnia sibi de me persuadeat, quae de servitore addictissimo expectare possit. Quicquid vero gratiae nunc Illustrissima Celsitudo Vestra mihi exhibuerit, deditissimo et suo et Illustrissimi filii sui servitori se exhibuisse putet... Datum Heilspergae, die 16 Augusti, 1565.

Illustrissimae Celsitudinis Vestrae
[a]servus deditissimus et promptissimus[b]
Petrus Barzi de Blozew, Castellanus
Premisliensis, Leopoliensis terrarumque
Russiae Capitaneus Generalis,
[a] manu propria subscripsit.[b]

a)-b) *manu propria.*

z) *sic in ms.*

1) *Stanislaus Hosius et Ioannes Franciscus Commendone.*

## *N. 1976.*

*Grodnae, 19.VIII.1565.*

*Petrus Myszkowski, R.P. vicecancellarius,*
*Alberto in Prussia duci*
*de milite Suetico ad stipendia regis Poloniae traducendo.*

*Sigill.*

*H B A, B 2, K.396.*

Illustrissime Princeps *etc.*

Quemadmodum ex literis Illustrissimae Celsitudinis Vestrae intellexi, negocium militis Suedici, qui ad stipendia Regiae Maiestatis traductus est, curae esse Illustrissimae Celsitudini Vestrae, ita dedi pro-

fecto operam quantam potui maximam, ut ei rei per Maiestatem eius provideretur. Cum enim omnia negocia Illustrissimae Celsitudinis Vestrae magnae curae habeam, tum ea inprimis, quae mihi tanto studio commendari intelligo. Quid profecerim, ex ipsius Maiestatis literis Illustrissima Celsitudo Vestra cognoscet. Omnino in tanta angustia aerarii vix obtineri aliud potuit. Illud tamen non difficulter obtentum est, ut Maiestas eius Regia, quemadmodum alia omnia, quae ab Illustrissima Celsitudine Vestra proficiscuntur, in optimam partem consuevit accipere, confisa singulari ipsius erga se fide et benevolentia, ita hoc quoque, quod de Suedico milite liberius sibi videtur Illustrissima Celsitudo Vestra ad Maiestatem eius perscripsisse, in eandem partem acceperit. Amat enim sane plurimum Regia eius Maiestas Illustrissimam Celsitudinem Vestram consiliaque eius omnia ex optimo erga se animo profecta esse intelligit... Datum Grodnae, die XIX mensis Augusti, anno Domini MDLXV.

[a]Illustrissimae Celsitudinis Vestrae
obsequentissimus servitor
Petrus Miskovski[b].

a)-b) *manu propria.*

*N. 1977.*

*Radomiae, 5.IX.1565*

*Gabriel Grabowiecki, tribunus Lomzensis,*
*Alberto in Prussia duci*
*de collata sibi dignitate curiae reginae magistri nuntiat; servitia offert; centum oves ex ovilibus ducis sibi vendi petit; restitutionem rusticorum profugorum efflagitat.*

*Sigill.*

*H B A, B 2, K.396.*

*N. 1978.*

*Drutowiszki, 26.IX.1565.*

*Ioannes Pawłowicz Podskarbowicz*
*Ioanni a Kreitzen (Creutzen), ducis cancellario,*
*de subditis suis profugis, in Prussia latitantibus, queritur; ligna sibi mittenda petit; in adiuncta schedula nuntiat aliquot ex subditis profugis vitae suae attentavisse.*
*(Annexa schedula)*
*(Germanice)*

*Sigill.*

*H B A, B 2, K.396.*

*N. 1979.*

*Dzięcioły, 30.IX.1565.*

*Sophia Tarnowska ducissa Ostrogska*
*Annae Mariae ducissae in Prussia*
*pro litteris gratias agit, obsequia defert.*
*(Polonice)*

*Sigill. erutum.*

*H B A, B 2, K.396.*

*N. 1980.*

*Zdziebędów, 21.X.1565.*

*Ioannes Mączyński*
*Andreae Patricio Nidecki, iuris utriusque doctori, secretario regio, archidiacono Vilnensi,*
*a Francisco Lismanino edoctus ducem Albertum ad se litteras dedisse, ipse ab aula absens, potestatem aperiendi easdem litteras ei concedit.*

*Vest. sigilli.*

*H B A, B 2, K.396.*

*N. 1981.*

*Soldaviae, 1.XI.1565.*

*Raphael Leszczyński, capitaneus Radziejoviensis,*
*Alberto in Prussia duci*
*de pecudibus subditorum Nicolai Keiten ad meliora pascula admittendis et de permissione ei danda ad excidendas arbores; de nimia sculthetorum Soldaviensium licentia; de pecunia sibi debita nondum persoluta; de presbytero Bohemo (ut hortum Soldaviae retinere possit).*
*(Germanice)*

*Sigill.*

*H B A, B 2, K.396.*

# 1566

*N. 1982.*

*Vilnae, 6.I.1566.*

*Sebastianus Ciechański*
*Alberto in Prussia duci*
*varia nova ex aula regia scribit.*
*Sigill. Autogr.*
*H B A, B 2, K.397.*

Illustrissime Princeps *etc.*

Cum Sacra Regia Maiestas isthuc ad Illustrissimam Celsitudinem Vestram, Dominum clementissimum meum, cubicularium una cum litteris suis mittit, etiam sine litteris meis ipsum dimittere non potui, quin[a] meas ad Illustrissimam Celsitudinem Vestram darem, offerens iterum atque iterum Illustrissimae Celsitudini Vestrae servitia mea subiectissima.

Sciat Illustrissima Celsitudo Vestra hesterna die coram Regia Maiestate Legatum Tartarorum audientiam habuisse et a suo Imperatore Suae Regiae Maiestati unum camellum et equum strophiollamque tradidisse. Quae esset ipsius legatio, nobis adhuc omnibus in aula non obstat.[z]

Hodie etiam, certo cum magno desyderio procerum Lituanicorum, Legatus Moschi expectandus sit, duo milliaria abhinc pernoctavit.

Regia Maiestas hodie in Wirszupi exibit et cras, volente Deo, in venationem ibit.

Proceres Lituanici in Comitiis omneis adsunt, sine Duce Constantino.[1] Dominus Achilles Scipio hesterna die ex Vilna celeriter post ipsum ivit. Magnificus Dominus Chothkiewicz, Castellanus Vilnensis,[2] magnam infirmitatem corporis sui patitur.

Tradidi etiam litteras Suae Regiae Maiestatis ad manus proprias, tam Illustrissimae Celsitudinis Vestrae, quam Illustrissimi Domini iunioris Principis.[3] Quae erant tam gratae quam gratissimae. Ad quas Sacra Regia Maiestas respondit: Haec[z] sunt primae litterae ad me scriptae a iuniore Principe. Utinam foeliciter, et ne timeat Sua Celsitudo hunc equum, nam apud me erat humilis et bene domitus. Cum his me in gratiam Illustrissimae Celsitudinis Vestrae commendo.

Haec bona, quae sunt Illustrissimae Celsitudini Vestrae post mortem Domini Tarli[z][4] devoluta, sunt mihi nunc primum nomine Illustrissimae Celsitudinis Vestrae per Dominum Wenceslaum Schak et Bernardum Pohibel ad manus meas tradita, quae cum summa fidelitate et subiectione

(volente Deo) administrabo, sine detrimento Illustrissimae Celsitudinis Vestrae. Vilnae, in festo Trium Regum, anno 1566.

Illustrissimae Celsitudinis Vestrae
subditus et servitor
Sebastianus Cziechaniski manu propria.

a) *sequitur expuncta littera:* s
z) *sic in ms.*
1) *Ostrogski.*
2) *Gregorius Chodkiewicz.*
3) *Albertus Fridericus.*
4) *Gabriel Tarło.*

*N. 1983.*

*Vilnae, 25.I.1566.*

*Constantinus Ostrogski, palatinus Kioviensis,*
*Alberto in Prussia duci*
*significat servitores ducis se in villam suam Vilnensem oppignoratam admittere noluisse iuraque sua ad eam proprietatem enumerat.*
*Sine sigillo.*
*H B A, B 2, K.397.*

Iaśnie Oswiecone Kśiązę, Panie a Panie moi Ml.cziwy.

Za nawiedzenie Waszei Ks. Mł.czi zdrowia mego, y za te upominki, ktoremiś mię W. Ks. Mć. przes słuzebnika mego Achilesa z łaski swyi ossobliwyi obeslać raczył, W. Ks. M.czi dziękuię, i tę chuć W. Ks. M.ći naprzeciwko mnie okazaną powinien zasługować W. Ks. M.ći będę, etc.

Miłosciwe Kśiązę, z zalem W. Ks. M.ci oznaimuię, ysz mi słuzebnicy W. Kś. M.ći, mego na ten czas zastawionego dworu, z uporu naprzećiw obligatii nie chćieli postąpić, gdysz ia to na kazdy czas komuby tego była potrzeba, statecznie i prawnie pokazać mogę, ysz ia mam wolne stanie w zastawnym dworze moim, gdybym iedno do Wilna przyechał.

Nad to iestem osławion przed W. Ks. M.cią, iakoby sludzy moi w dopieraniu tego dworu mieli niesłusznie z słuzebnikami W. Ks. M.ci postępować, co się nigdy okazać nie moze. Bo gdybym ia swemu przedsiewzięćiu chćiał dosić uczynić, tedyby to było prawo wnet pokazalo. Ale ia nie chcąc około tego znagla W. Ks. M.ć. osławiać, a z Waszą Ks. M.cią panem poboznym a sprawiedliwym zachodzić, umyslilem acz naprzećiw prawu, kwoli W. Ks. Ml.czi, w inszyi gospodzie z moią niemalą szkodą i niewczasnoscią stanąć. K temu nie chcąc W. Ks. M.ć długim pisaniem bawić, iest mię temu dziwno, yzesmi W. Ks. M.ć na supplikacia Achilesowę, ktorei mu ia nie roskazał pisać, ani w tak iasnyi rzeczy z Waszą Ks. M.ćią tractować, dać znać raczył, iakobym ia to imienie zastawne moie, dla przesćia terminu na wiecznosć utraćić miał. A iam go nie s tym do W. Ks. M.ći posylal, iedno nawiedzaiąc zdrowie W. Ks. M.ci a offiaruiąc słuzby swe.

Podobno ten niedobrze obligatii moiei zrozumiał, albo to z iakiei nieprzyazni przeciwko mnie uczynił, ktory taką sprawę W. Ks. M.ci dał, iakobym ia iusz i potomkowie moi pod niemałą zakładną winą onego sie upominać, wspominać i owszem daleko mniei wykupować nie miał. Ia to zawzdy s tyi obligatii moiei naprzod przed panem Bogiem, przed Maiestatem Iego Kro. Ml.czi skutecznie a iasnie okazać bym mogł (gdybym

na Ml.cziwą łaskę W. Ks. M.ci ossobliwego względu nie miał, ktorą ia sobie nad ynsze wszitkie rzeczy niepomału wazę), ysz ia albo potomkowie moi mogą zawzdy na termin Trzech Krolow we trzi lata podlug obligatii moiei dawszy ćwierć roku przed tym znac, wykupić i na ten przeszły Trzech Krolow termin, tedybym był wikupił, gdybym byl ćwierc roku przed terminem W. Ks. M.ci oznaimił. Alem sie ia w tyi mierze na M.lcziwą laskę W. Ks. M.ci spuscił, ktora mie da Bog nigdy nie omyli, gdysz sie W. Ks. M.c nie ma czym okolo wiecznosci sczycić, poniewasz ten artycul, o ktory gra idzie w obligatii moi, brzmi: Tedy u Iego M.ci potem nigdy przed wysćiem ani po wysćiu trzech lat, ia i potomkowie moi u Iego Ml.czi pana Tarła i u potomkow iego mam wykupować. To iest, Ml.cziwe Xiązę, nigdy nie mam wykupować po czasie ani przed czasem terminu, tylko na sam termin albo rok, oznaimiwszy przed tym ćwierć lata. Iakosz, dla lepszego wyrozumienia, posylam W. Ks. M.ci przepis tyi moiei obligatii,*) z słowa w słowo przepisawszy. Mam za to, ze sie s tamtą, ktora iest przi W. Ks. M.ci, zgadzać będzie, gdzie ią sprawiedliwie a iako sie w sobie ma, przed W. Ks. M.cią wykladać bedą.

A tak W. Ks. M.ci swego Ml.cziwego pana proszę, zebys mi W. Ks. M.c z ossobliwyi laski swyi słuszne a znosne terminy ku polozeniu tyi sumy naznaczić, a mnie to imienie, iako pan i dobrodziei moi M.czywy teras pusćić racził. Co ia wiecznymi czasy s potomstwem swym i ze wszemi prziacioły domu mego zasługować W. Ks. M.ci powinien będę... Dan w Wilnie, dnia XXV miesiąca stycznia roku 1566.

Waszyi Kśiązecyi Oswieconosci powolny sluzebnik

Konstantin ksiąze Ostroskie, woiewoda Kiiowski,
Marszalek ziem Wolinskich, starosta Wlodzimirski etc.
[a] ręką sswą subscripsit.[b]

a)-b) *manu propria.*
*) *deest*

*N. 1984.*

*Vilnae, 3.II.1566.*

*Constantinus Ostrogski, palatinus Kioviensis,*
*Alberto in Prussia duci*
*per Venceslaum Schack, oratorem ducis in Prussiam redeuntem, obsequia defert et valetudinem bonam precatur.*
*(Polonice)*

*Sine sigillo.*

*H B A, B 2, K.397.*

*N. 1985.*

*Vilnae, 9.II.1566.*

*Petrus Myszkowski, R.P. vicecancellarius,*
*Alberto in Prussia duci*
*negotia a duce sibi commissa ex parte iam confecta esse nuntiat; negotium vero pecuniarium et alia aliqua ad Comitia Generalia a rege reiecta esse.*

*Sigill.*

*H B A, B 2, K.397.*

*N. 1986*

*Vilnae, 1.III.1566.*

*Petrus Myszkowski, R.P. vicecancellarius,*
*Alberto in Prussia duci*
*de negotio mutuatae pecuniae duci restituendae, de stipendio per tres annos retento persolvendo et de causa tollendae proscriptionis ducis in Comitiis Imperii.*

*Sigill.*

*H B A, B 2, K.397.*

Illustrissime Princeps *etc.*

Doleo vehementer me in repetenda, nomine Illustrissimae Celsitudinis Vestrae, a Maiestate Regia, Domino meo clementissimo, mutuata pecunia tantum adhuc proficere non potuisse, quantum sane pro meo in Illustrissimam Celsitudinem Vestram singulari studio operam dedi. Ac quibus potissimum de causis solutio earum pecuniarum etiamnum extrahatur, intelligere Illustrissima Celsitudo Vestra potuit ex literis Maiestatis Suae, de ratione pecuniae illius in certis bonis assecurandae nuper ad se datis. Huc accessit quoque difficultas pecuniaria ac infiniti prope sumptus, quos Maiestas Sua in varios usus Reipublicae continuo facere non desinit. Pollicetur tamen Maiestas Sua se in proximis Generalibus Regni Comitiis, cum Domini Czemae praesentes adfuerint, omnino curaturam esse, ut Illustrissimae Celsitudini Vestrae de iis pecuniis vel ea ratione, quae ei antea est perscripta, satisfiat. Quo tempore magis etiam opportune mentio integri iam triennalis stipendii Illustrissimae Celsitudinis Vestrae retenti fieri poterit. In quibus quidem nihil ego tum, quod mearum fuerit partium, sum intermissurus.

Negotium Illustrissimae Celsitudinis Vestrae de sublatione proscriptionis etsi iam ante Maiestas Regia suo ad Comitia Imperii Oratori,[1] inter alia instructionis capita, specifice demandaverit eidemque in mandatis dederit, ut de omnibus negotii illius conficiendi rationibus consilia cum Illustrissimae Celsitudinis Vestrae Internuntiis, qui etiam Augustam mitterentur, communicaret, tamen non intermittet Maiestas Sua eundem Oratorem suum de integro per literas commonefacere, ut in hoc negotio Illustrissimae Celsitudinis Vestrae non minorem, quam in propriis Maiestatis Suae mandatis, fidem ac diligentiam adhibeat.

Mitto Illustrissimae Celsitudini Vestrae literas commissionis [*] iis verbis, quibus Illustrissima Celsitudo Vestra voluit, scriptas. In maioribus etiam, quaecunque mihi ab illa demandabuntur, libenter gratificaturus... Datae Vilnae, 1 die Martii, anno Domini 1566.

Illustrissimae Celsitudinis Vestrae
[a] obsequentissimus servitor
Petrus Miskovski.[b]

a)-b) *manu propria.*
1) *Franciscus Krasiński.*
*) *desunt.*

## *N. 1987.*

*Vilnae, 2.III.1566.*

*Sebastianus Ciechański*
*Alberto in Prussia duci*
*de litteris ducis regi traditis et de responso ad eas sollicitato; mittit commissionem ad regendos fines; de regis ad Comitia Lublinum profectione; de imperatore Turcarum versus Viennam moturo.*
*Sigill. Autogr.*
*H B A, B 2, K.397.*

Illustrissime Princeps *etc.*

Literas ad Sacram Regiam Maiestatem et Dominum Vicecancellarium nomine Illustrissimae Celsitudinis Vestrae, absque ulla mora, ad manus tradidi, de responsoque ad has diligenter solicitavi. Quod non tam cito servitorem hunc Illustrissimae Celsitudinis Vestrae una cum hisce literis ablegavi, nulla alia praeter hanc causa, quod Regia Maiestas 24 Februarii nuptiis apud Dominum Capitaneum Samogitiae,[1] et in crastino Dominus Kiszka[2] aderat, qui nupsit sorori[3] Domini Capitanei Samogitiae.

Commissionem una cum mandato, ad Dominum Palatinum Culmensem[4] pertinente, Illustrissimae Celsitudini Vestrae mitto.[*]

Item mitto etiam ad Dominum Venceslaum Schak responsum una cum deputatis Commissariis ad limites inter Ducatum Prussiae et Ducatum Lituaniae etc. Quando Illustrissimae Celsitudini Vestrae visum fuerit, ut ad limites descendant, deputatos Commissarios Regiae Maiestatis Illustrissima Celsitudo Vestra certiores faciet, id est Dominum Episcopum[5] et Capitaneum Samogitiae. Illi se offerunt in hac re Illustrissimae Celsitudini Vestrae inservire.

Regia Maiestas proficiscitur hinc versus Lublin ad Comitia 11 Martii.

A Rege Ungariae[6] venit suus cubicularius, qui narrat iam Imperatorem Turcarum[7] versus Viennam cum magno exercitu in propria persona in procinctu esse. Regi etiam Ungariae mandasse, ut in armis esset. Nam sunt iam induciae finitae in mense Februario nunc praeterito.

Regia Maiestas, una cum proceribus Lituanorum, nunc statuta eorum corrigit... Vilnae, 2 Martii, anno 66.

Illustrissimae Celsitudinis Vestrae
subditus et servitor
Sebastianus Cziechaniski manu propria.

1) *Ioannes Chodkiewicz.*
2) *Nicolaus Kiszka, pocillator M.D.L.*
3) *Barbara Chodkiewicz.*
4) *Ioannes Działyński.*
5) *Victorinus Wierzbicki.*
6) *Ioannes Sigismundus.*
7) *Solimanus II.*
*) *deest.*

## *N. 1988.*

*Vilnae, 10.III.1566.*

*Sebastianus Ciechański*
*Alberto in Prussia duci*
*litteras regis, vicecancellarii et mandatum Christophoro Sokołowski a rege datum mittit, mox in persona ad ducem venturus.*
*Vest. sigilli. Autogr.*
*H B A, B 2, K.397.*

Illustrissime Princeps *etc.*

Illustrissimae Celsitudini Vestrae, Domino meo clementissimo, per hunc servitorem Illustrissimae Celsitudinis Vestrae litteras tam Regiae

Maiestatis Domini Vicecancellarii,[1] quam etiam et declarationem mandati Regiae Maiestatis, ad Christhophorum Schokolowski dati, mitto.[*] Quod tam breviter Illustrissimae Celsitudini Vestrae scribo, peto atque subdite peto, Illustrissima Celsitudo Vestra boni nunc consulat propter profectionem crastinam Regiae Maiestatis. Et quod nunc non [a] subscripsit Regia Maiestas in suis litteris, Reverendus Dominus Vicecancellarius petit Illustrissimam Celsitudinem Vestram, ne haec illa aegre ferat, maiorem in modum iterum atque iterum petit. Ego vero brevi ad Illustrissimam Celsitudinem Vestram veniam et omnia Illustrissimae Celsitudini Vestrae, Domino meo clementissimo, quod est et posthac erit, refferram... Vilnae, 10 Martii, anno 1566.

Illustrissimae Celsitudinis Vestrae
subditus et servitor
Sebastianus Cziechaniski subscripsit.

a) *supra lineam scriptum.*
*) *deest.*
1) *Petrus Myszkowski.*

*N. 1989.*

*Vilnae, 10.III.1566.*

*Petrus Myszkowski, R.P. vicecancellarius,*
*Alberto in Prussia duci*
*mandatum regium, iuxta desiderium ducis conscriptum, eiusque exemplum mittit (desunt in Archivo).*
*(Adiuncta schedula de regis discessu, qui litteras ad ducem subscribere non potuit).*
*Sigill.*
*H B A, B 2, K.397.*

*N. 1990.*

*Goluchoviae, 15.III.1566.*

*Raphael Leszczyński, capitaneus Radziejoviensis,*
*Alberto in Prussia duci*
*de Comitiis, de « exsecutione » et de unione Regni cum Lithuania tractaturis, ad dominicam Conductus Paschae indictis; nuntiat se etiam a comitiolis particularibus nuntium terrestrem ad eadem Comitia esse electum et instructionem ducis expetit.*
*Sigill.*
*H B A, B 2, K.397.*

Durchlauchtigister *etc.*

Gnedigster furst und herr. Meiner gehorsamen dienste folgende, die ich E. F. D. zu thun pflichtig bin, thue ich E. F. D. dienstlicher meinung zu wiessen, das der landtagk zu Lublin, die executio undt die union mit Litauen zu vorbrengen, gesatzt ist und ad dominicam Conductus Pasce dohin einzukamen geordnet undt die kleine landtage, do man pflegt die landtbotten zu erwehlen, in der ganze kran schon vorbracht sein. Undt

dieweil ich auch in der zall der landtbotten hab sein mussen und auch auf den landtag ziehen muss, hab ich nit umbgehen konnen, solchs E. F. D. schrieftlichen zu vormelden undt wo E. F. D. etwass aldoselbst ausszurichten hetten, es wer bein ko. mt. eigner person oder derselben landtbotten, so wollen mirs E. F. D. alss irem willigen diener aldohin kehn Lublin schriftlichen zu wiessen thuen. Es soll mit hilf des Allmechtigen Gottis also wol aussgericht werden, wass E. F. D. instruction wirt mit sich bringen, als hett E. F. D. ein eigene legation aldoselbst.

Ich hab auch zum hochsten darnach getracht, das ich mich gerne eigner person het zun E. F. D. vorfuegen konnen, so hat es die zeit nit geben wollen auss vorhindernuss notwendiger gescheften sowol meiner hochzeitlichen freude.

Ich bit auch zum dinstlichsten, E. F. D. wollen dem hauptman zu Margenwerder [1] allergnedigst bepfhelen, das wo es sich zutruege, das ich ahn E. F. D. schriebe, das ehr, obgemelter hauptman, dieselben briefe ahn allen vorzuegk E. F. D. zuschicken wolle, dan die reisse ist mir gar zu weit allewege mit meinem eigen botten die brief nach Konigspergk abzufertigen... Datum Goluchow den 15 Marcii anno LXVI.

E. F. D.

gehorsamer diener
[a] Rhaphael Leschczynsky wff Rhadzeow
hetman manu propria.[b]

a)-b) *manu propria.*
z) *sic in ms.*
1) *forsitan* Absalon de Reimann.

*N. 1991.*

*Cnissini, 22.III.1566.*

*Petrus Myszkowski, R.P. vicecancellarius,*
*Alberto in Prussia duci*
*mittit litteras immunitatis a vectigali, a duce postulatas; refert de querela palatini Culmensis ob commissionem duci missam.*
*(Annexa desunt)*
*Vest. sigilli.*
*H B A, B 2, K.397.*

Illustrissime Princeps *etc.*

Mitto Illustrissimae Celsitudini Vestrae litteras immunitatis a vectigali, quales et Illustrissima Celsitudo Vestra per litteras et hic praesentium exhibitor a me postulavit. Si quid est amplius, in quo studium meum Illustrissimae Celsitudini Vestrae probare possum, rogo Illustrissimam Celsitudinem Vestram, opera mea arbitratu suo utatur.

Caeterum non possum Illustrissimam Celsitudinem Vestram caelare, Magnificum Dominum Palatinum Culmensem,[1] misso ad Sacram Regiam Maiestatem Internuncio, conquestum esse de commissione Illustrissimae Celsitudini Vestrae tradita, nimirum quod ad iudicandam eam rem soli ex parte Illustrissimae Celsitudinis Vestrae Commissarii convenerint, nec iustus omnium Commissariorum fuerit numerus. Unde et praeiudicium causae Regiae Maiestatis et damnum eiusdem in Regiam Maiestatem re-

dundare. Itaque his rationibus adducta, Regia Maiestas iussit mandatum tradi de supersedendo. Cuius voluntati cum refragari non potuerim, dignabitur Illustrissima Celsitudo Vestra in meliorem partem id interpraetari ac me, officiis suis addictissimum, veteri benevolentia complecti... Datum Knischinii, die XXII Marcii, MDLXVI.

[a] Illustrissimae Celsitudinis Vestrae
obsequentissimus servitor
Petrus Miskovski.[b]

a)-b) *manu propria.*
1) *Ioannes Działyński.*

*N. 1992.*

*Sieprc, 26.III.1566.*

*Ursula Lwowska, castellana Covaliensis,*
*Alberto in Prussia duci*
*conqueritur de [Christophoro] capitaneo in Schönberg (Szymbarski), ducis subdito, qui a duce etiam admonitus, subditos profugos sibi restituere non vult; nuntiat mortem Procopii Sieniawski, dapiferi Leopoliensis, generi sui.*

*Sigill.*

*H B A, B 2, K.397.*

*N. 1993.*

*Vorniae, 17.IV.1566.*

*Victorinus Wierzbicki, episcopus Samogitiensis,*
*Alberto in Prussia duci*
*familiarem suum Philippum Koblin in certis negotiis suis ad ducem mittit et petit, ut ei dux benignas aures exhibeat.*

*Sigill.*

*H B A, B 2, K.397.*

*N. 1994.*

*Lublini, 17.IV.1566.*

*Petrus Myszkowski, R.P. vicecancellarius,*
*Alberto in Prussia duci*
*de accusatione palatini Culmensis contra ducem.*

*Sigill.*

*H B A, B 2, K.397.*

Illustrissime Princeps *etc.*

